QL
696
P5S8X
Birds

J-24

QL
696
P5S8X
Birds

# CONSPECTUM AVIUM PICINARUM

EDIDIT

[Carl Jacob]
CAROLUS J. SUNDEVALL
Custos Musei Zool. Stockholmiensis.

SMITHSONIAN LIBRARIES

STOCKHOLMIÆ 1866.
SAMSON & WALLIN.

STOCKHOLMIÆ, MDCCCLXVI.
P. A. NORSTEDT & FILII.

# PRÆMONENDA.

Inter aves, hodie, vix ulla pars melius nobis cognita est quam familia Picorum, quod studio assiduo unius viri præcipue debemus. Clarissimus Malherbe, consul urbis Metz, magnam vitæ partem in cognitionem harum avium impendit; omnes species earum, usque ad 1862 cognitas, vel descriptas, vel in museis europæis asservatas, labore pertinaci lustravit et diligentissime descripsit; omnia synonyma earum collegit et studio critico optime dijudicavit. Vitæ rationem, omnemque harum avium historiam ex natura et ex libris plenissime cognovit; quæ omnia in opere magno: *Monographie des Picidées* (2 voll. fol. reg. c. tabb. color. 121, Metz 1859—62, in fasciculis 24 edito) exposuit. Gravissimum igitur laborem peregit viamque aliis munivit; quo labore monumentum, omni laude majus, sibi condidit.

Opere hoc finito id mihi proposui ut ex illo distributionem harum avium geographicam cognoscerem eamque cum formis, coloribus, vitaque earum compararem. Quod vero, primo experimento, non ex sententia successit. Minus enim hanc rem, quam exactam specierum cognitionem et distinctionem, quæsierat cl. auctor, quare cito inveni, species Picorum in ordinem systematicum, paullum mutatum redigendas, easque, in hanc finem, novo studio cognoscendas esse. Simul vero in mentem venit, opus, ceterum egregium, propter molem immanem et pondus voluminum, valde incommodum esse ad usum, et, epitomen ejus, seu expositionem brevem, utilissimam fore, præsertim si ita conscriberetur, ut affinitas specierum melius eluceret et descriptiones earum, etsi minus completæ, differentias tamen specificas evidentius indicarent. Rem igitur aggressus sum ut fieret ejusmodi epitome, quod, ope talis fili ariadnei, facilius erat negotium. Species circiter 100 Picorum, tum in musæo stockholmiensi asservatas, denuo perquisivi et cum opere Malherbiano comparavi; descriptiones reliquarum ex eodem opere excerpsi. Multa vero dubia remanserunt, præcipue de forma et affinitate, ideoque de loco systematico Picorum, habitu vel picturâ quadam peculiari insignium, qui non præsto erant. Anno vero sequenti, 1863, mensibus augusti et septembris, itinere instituto, musea ornithologica principalia visitavi: Bremense, Lugdunense, Britannicum, Parisiense, Francofurthanum et Berolinense, quæ omnia mihi summa benevolentia aperta fuere, ubi formas Picorum, mihi incertas vel ignotas, fere omnes inveni, et descriptiones permultas, quantum sufficeret tempus, corrigere potui. Novam igitur redactionem epitomes inceptæ deinde aggressus sum, quam hodie, qualis facta est, in publicum edo.

Interea aliud opus, quodammodo ejusdem naturæ, de Picis editum est: Sectio 2:da Partis 4:æ Musei Heineani a Cabanis et Heine, 1863; quod nuper impressum, Berolini, quum jam rediturus essem, ab altero

auctorum accepi. Hoc opus, ubi species, post opus Malherbei cognitæ, adduntur omnisque synonymia exponitur, perutile mihi fuit; doleo vero nondum completum esse; nam circiter quarta ejus pars, complectens Tribus nostras 12—15, 18, 19, 21, 23 et 4, 26, 29 et 30, adhuc inedita restat. Speramus hanc partem cito divulgatam fore; sed tamen opusculum nostrum non propterea superfluum censemus, quod magis usui tironum adaptatum est. Alterum vero, synonymia copiosissima locupletatum, sed characteribus familiarum generumque carens, multisque speciebus non descriptis, ad usum ornithologorum jam peritorum accommodatius erit.

Pici, etsi genus maxime naturale et ab omnibus aliis bene distinctum constituentes, diu tamen in multa genera minora distributi sunt. Initium divisionis fecerunt Lacepede (Picoides!) et Koch ("Dendrocopos", Syst. Bayr. Zool. 1816. Cf. Mus. Hein. Pici p. 30 Not.). Swainson et Boie, 1824—37, genera numerosa condiderunt; alii opus continuaverunt; Bonaparte numerum usque ad 60 auxit et in Museo Heineano, 1863, adhuc plura accedunt. In parte hujus operis jam publicata 48 genera enumerantur, unde colligi licet, numerum eorum in opere integro fere ad 70 auctum fore, qui numerus sane magnus apparet. Hoc vero genus, veluti pleraque magna et naturalia, si dividitur, non in subgenera pauca, sed in numerosa, parva, parum distincta, dissolvitur. Sic Psittacus, Cuculus, Bucco, Alcedo, Trochilus, Columba, Strix etc. etc. Ipse Picos in 30 Tribus, quæ vim fere subgenerum habent, divisi, nec in pauciores redigere potui. Si vero Pici in subgenera, nominibus propriis appellanda, distribuendi essent, vix fieri potuit quin multo plura admitterentur; qua de re cf. Synopsin subgenerum infra datam. Subgenera enim 42 ibi exposita, quodammodo naturalia et picturâ formâque distincta, divisioni Picorum satisfacere nobis videntur. Dissectio autem generis, si placet, ad libitum continuari potest, nec ullus est limes. Quælibet enim subdivisio generis, etiam plane artificialis, nomine donari et genus proprium haberi potest, qui mos hodie prævalet.

Hæc vero divisio, dum modum non superat, sæpe utilis est. Diversæ enim generis majoris formæ bene et breviter nominibus propriis designantur. In generibus magnis, ab initio male constitutis, et in iis, quorum subgenera typum generalem minus evidenter exhibent, necessaria est divisio, ut formæ variæ, affines vel alienæ, agnoscantur et rite separentur vel conjungantur; e. gr. in Turdo, Sylvia, Lanio etc. auctorum veterum. In genere quodam magno, sed maxime naturali, e. gr. Pico, divisio utilis est, ut species ejus rite inter se comparentur; sed denominatio sectionum, i. e. fabricatio generum, multo minoris est momenti. Præterea, nomine Pici jam ab antiquis temporibus totum hoc genus, non vero una ejus forma designabatur, ex quo intelligitur dissensio auctorum recentiorum, qua hodie incertum est cuinam subgeneri proprium esset hoc nomen. Picus enim Swainsonii typum habet *P. robustum;* Picus, Gray List, et Malh., *P. majorem;* Picus, Gray Catal., *P. martium.* Koch vero, ante reliquos, Picum proprium habuit *P. viridem,* quem morem sequuntur auctores Mus. Heineani (p. 30, nota). Illud igitur commodum, quod ex usu nominis generalis Pici, omnibus cogniti et nulli dubio obnoxii, capitur, in hoc opusculo dimittere nolui, quare species omnes nomine Pici vocavi.

Malherbe quoque, in magno suo opere, Picos in subgenera distribuit, quæ tamen, quia nimis pauca, (tantum sc. 19) minime naturalia sunt. (Quorum expositionem in indice Malherbiano, his præmonendis suffixo, videas.) Totum vero genus Pici unum atque integrum habet. Negat igitur, duas ejus species eodem nomine speciali designandas esse; nomen enim Pici ante omne nomen speciale intelligendum censet; quam doctrinam adprobavi et adoptavi. Divisiones igitur generis, non vero subgenera nominata, h. l. exposui. — Sed in usum aliorum, præter indicationes generum minorum, suis locis datas, synopsin eorum in fine opusculi subjunxi. Nomina subgenerica omnia in Museo Heineano accepta, etsi non omnia hæc subgenera adprobanda censemus, ibi allata sunt, quæ cum correcta et rite formata sint, multis horrendis, hybridis vel barbaris, antiquius datis, sunt præferenda.

In opusculo nostro præterea pauca et præcipue de terminologia sunt observanda.

*Pectus* hominis est pars corporis, sterno suffulta; i. e. pars ventris, supra (s. ante) abdomen sita. Pectus igitur in avibus idem, sive pars corporis inferioris, a pedibus ad extremitatem sterni anticam; quæ pars plerumque, nomine haud rejiciendo, "Venter anterior", appellata est. Venter igitur anterior idem est ac pectus. — Pars vero corporis, ante sternum, ideoque ante pectus sita, in avibus sursum adscendens, est regio gutturalis s., brevitatis ergo, guttur; in quo tres subdivisiones distinguimus: *gulam*, supremam, sub capite sitam; — *jugulum* (s. guttur medium), — et *guttur infimum*, (s. jugulum infimum), quæ pars sola, sed falso, hucusque pectus appellari solita est. — Hæc nostra terminologia non solum cum terminis anatomicis, sed etiam cum notissima illa terminologia, ab Illigero constituta, convenit. In regione gutturali infimo, in Columbis, Gallinis aliisque avibus, situs est saccus oesophagi (suet. Kräva. Kroe; germ. Kropf; angl. Crop; gall. Jabot), latine *ingluvies* dicendus, quo vocabulo, pro synonymo gulæ, minus bene usus est Illiger. Ex hoc vero sacco, cum in plerisque avibus desit, ista regio superficiei appellari neqvit. — Qvid sit epigastrium avium, incertum est, etsi plerique hoc verbo pro gutture infimo vel pectore abutantur. Epigastrium hominis est regio abdominis antica, *infra*, s. *pone* sternum sita. Avium igitur epigastrium inter pedes quærendum, vel idem est ac venter medius; sed vocabulum istud in ornithologia potius rejiciendum.

*Digitos* ex numero ordinis appellamus: digitus *primus* est hallux, biarticulatus et proprie internus. D. *secundus* (dig. 2) est anterior, interior, articulis 3 compositus; d. *tertius* est proximus, 4-articulatus, in plerisque avibus medius; d. *4:tus* est extimus, 5-articulatus, in Picis retroversus. Digiti 2, 3 et 4 semper a nobis ita appellantur, etiam ubi primus (hallux) deest (Struthio tantum tertium quartumque habet).

*Rectrices* in Picis tantum 10 numeramus; parva enim, extima, non est rectrix vera, sed rectrix *spuria* s. *accessoria* dicenda. Situ, supra proximam, semper a reliquis differt et potius tectrix firmior, perfectius explicata, habenda est. Non comparanda est cum remige prima, spuria, quæ situm remigis primæ semper tenet. Nobis igitur *rectrix extima* semper est extima inter veras, s. majores (s. a medio caudæ 5:ta); quod h. l. observasse velim, ne oriatur confusio. Malherbe rectrices 12 numerat, quod, in descriptionibus, ambages et sæpe confusionem affert.

*Proportio remigum primariarum* in Picis vix ullius est momenti ad sectiones definiendas. Plerisque enim penna 4—5 vel 4—6 subæquales et ceteris longiores inveniuntur. Etiam, fere in omnibus, remiges 3—7 v. 8 extus sinuatæ sunt. Majoris vero momenti interdum est ratio longitudinis primariarum ad cubitales; qua ratione, quia cubitales fere semper sibi similes inveniuntur, longitudo primariarum definiri potest. De qua re conf. divisiones Tribus 1:mæ.

Vocabula: *fascia* et *fasciatus*, semper strias latiores, transversales designant; *stria, striatus, striolatus*, non ulterius definita, picturam longitudinalem denotant.

*Mensuram* plerumque nullam aliam, præter longitudinem alæ (a flexura carpi ad apicem) afferimus; quæ sola est in avibus certa et facillime adhibenda; ceteræ omnes fallaces vel difficiliores. Rostrum et tarsus plerumque, in sp. ejusdem generis naturalis, minus differunt, nisi pro ratione corporis; has vero partes, ob limites indefinitas, non nisi difficilius recte metiri possumus; interdum tamen utiles sunt hæ mensuræ. Cauda paullo magis, quam ala, variat, plerique vero eam summa negligentia metiuntur. Longitudo hujus partis vix nisi uno modo certe haberi potest: ab ostio glandulæ supracaudalis, quæ semper, ut verrucula vel spinula, supra basim rectricum, in cute siccata, etiam per plumas, digito observatur. — Avium *longitudo totalis* inter omnes mensuras maxime fallax. Multum enim variat secundum collum magis minusve inflexum vel extensum, et, in cute siccata, præterea, secundum statum cutis, vel varium ejus præparandi modum. Tamen, in Picis plerisque, et in avibus plerisque, cauda colloque mediocri instructis, longitudo totalis avis mortuæ, libere laxeque in terra vel in mensa jacentis, subæqualis est duplici longitudini alæ.

Utimur solo genere mensuræ scientificæ totique mundo communi: systemate metrico, *millimetris* expresso, quæ subdivisionibus non egent. Pedes, pollices et lineæ singularum gentium nimis differunt, nec nisi difficilius comparantur.

---

Quo facilior sit recognitio operis malherbiani et aditus ad descriptiones ejus maxime completas, indicem ejus h. l. subjungimus, qualis in illo opere, II, 297—301, invenitur, additis tamen indicationibus iconum, patriæ et numeri cujusque speciei in opusculo nostro. Sectiones ab auctore acceptas, literis *a*, *b* etc. signavimus; nomina vero specierum, quas ille incertas, dubias vel spurias habet, sed tamen, in suo opere, haud aliter ac species bene cognitas et distinctas descripsit, parenthesi dimidia præcludimus; e. gr. (atratus, I, 72.

# Index operis Malherbei.

| | | PICUS. | Malh. Vol. I. | | Patria. | | Consp. nostri: |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 (Megapicus Malh.) | | | | | | | |
| *a*) | — | imperialis ..................... Vol. I | pag. 2 | tab. 1 | Am. | sept. | n:o 1 |
| | — | principalis ............................ | — 4 | — 1 | — | » | . 2 |
| *b*) | — | magellanicus ......................... | — 8 | — 2 | — | merid. | . 3 |
| *c*) | — | boiei ...................................... | — 10 | — 3 | — | trop. | . 9 |
| | — | grayi ...................................... | — 13 | — 5 | — | » | . 8 |
| | — | malherbi ................................ | — 15 | — 6 | — | » | . 5 |
| | — | albirostris .............................. | — 17 | — 4 | — | » | . 4 |
| | — | guatimalensis ......................... | — 19 | — 7 | — | » | . 6 |
| | — | sclateri ................................... | — 22 | — 35 | — | » | . 7 |
| | — | robustus ................. ....... ..... | — 23 | — 3 | — | » | . 11 |
| | — | rubricollis ............................. | — 25 | — 8 | — | » | . 10 |
| | — | trachelopyrus ......................... | — 26 | — » | — | » | . 10 *b* |
| | — | hæmatogaster ......................... | — 27 | — 9 | — | » | . 12 |
| | — | validus ................. ............... | — 28 | — » | As. | mer. | . 13 |
| 2 (Dryopicus Malh.) | | | | | | | |
| *a*) | — | martius .... ......................... 1 | pag. 31 | — 10 | Eur. | | . 22 |
| *b*) | — | pileatus.................................. | — 34 | — 11 | Am. | sept. | . 18 |
| | — | galeatus... ............................. | — 38 | — » | — | trop. | . 17 |
| | — | lineatus ................................. | — 39 | — 12 | — | » | . 14 |
| | — | fuscipennis ......................... | pag. {165 et 186} | tab. 61 | — | » | . 15 |
| | — | erythrops ............................. | pag. 42 | tab. 12 | — | » | . 16 |
| | — | scapularis ............................. | — 44 | — 10 | — | » | . 14 *b* |
| *c*) | — | leucogaster............................. | — 47 | — 13 | As. | mer. | . 19 |
| | — | hodgsonii ............................... | — 49 | — » | — | » | . 20 |
| | — | gutturalis .............................. | — 51 | — 15 | — | » | . 23 |
| | — | fulvus .................................... | — 53 | — 14 | — | » | . 24 |
| | — | funebris ................................ | — 54 | — 15 | — | » | . 25 |
| 3 (Picus propr. Mh.) | | | | | | | |
| *a*) | — | major .... ............................ 1 | pag. 56 | — 16 | Eur. | As. | . 53 |
| | — | cabanisi ................................. | — 60 | — 17 | As. | med. | . 57 |
| | — | mandarinus............................. | — 61 | — » | — | » | . 56 |
| | — | gouldii ......... ...................... | — 62 | — » | — | » | . 55 |
| | — | luciani ................................... | — 63 | — » | — | l. inc. | . 54 |
| | — | numidicus .............................. | — 65 | — 18 | Afr. | sept. | . 58 |
| | — | himalayensis. ......................... | — 67 | — 19 | As. | med. | . 59 |
| | — | assimilis................................. | — 69 | — » | — | » | . 60 |
| | — | majoroides ............................. | — 70 | — 16 | — | » | . 62 |
| | — | (atratus ............. sp. dubia ...... | — 72 | — 0 | — | » | . 67 |
| | — | (scindeanus ........ sp. inc.......... | — 73 | — 0 | — | » | . 60 *b* |
| | — | harrisii ................................. | — » | — 20 | Am. | sept. | . 42 |
| | — | villosus.................................. | — 75 | — 21 | — | » | . 41 |
| | — | (canadensis = præc.................. | — 78 | — » | — | » | . 41 var. |
| | — | (martini = id. ........................ | — 82 | — 22 | — | » | sub 41 |
| | — | (phillipsii = id. ..................... | — 84 | — 21 | — | » | » » |
| | — | (cuvieri ............. sp. dubia ...... | — 85 | — 22 | — | » | . 41 var. |
| | — | (auduboni.......... » » ...... | — 87 | — » | — | » | sub 41 |
| | — | (undosus ............ » » ..... | — {89 et 185} | — 0 | — | » | . 39 nota |

| (Picus propr. contin,) | | Malherbe. | | Patria. | Consp. nostri |
|---|---|---|---|---|---|
| — leuconotus | I pag. | 89 | tab. 23 | Eur. | n:o 65 |
| — uralensis | — | 92 | — » | As. sept. | . 66 |
| — medius | — | 93 | — 20 | Eur. — | . 88 |
| — syriacus | — | 95 | — » | As. med. | . 61 |
| — macei | — | 96 | — 24 | — mer. | . 68 |
| — analis | — | 99 | — » | — » | . 69 |
| — nuttalli | — | 100 | — » | Am. sept. | , 47 |
| —? lucasanus | — | 166 | — 0 | — » | . 47 *b* |
| — cactorum | — | 102 | — 25 | — trop. | . 94 |
| — jardinii | — | 103 | — » | — sept. | . 43 |
| — cathphorius | — | 104 | — 22 | As. med. | . 63 |
| — marattensis | — | 105 | — 24 | — mer. | . 91 |
| — brunnifrons | — | 107 | — 18 | — » | . 89 |
| — stricklandi | — | 108 | — 28 | Am. sept. | . 48 |
| — lignarius | — | 109 | — 26 | » Amer. | . 49 |
| — waglerii | — | 112 | — 29 | » trop. | . 51 |
| — minor | — | 113 | — 26 | Eur.; Alg. | . 71 |
| — kamtschatkensis | — | 115 | — » | As. sept. | . 72 |
| — scalaris | — | 116 | — 27 | Am. sept. | . 46 |
| — (bairdi ... var. pr:s | — | 118 | — » | — » | . 46 *b* |
| — pubescens | — | 119 | — 29 | — » | . 44 |
| — (leucurus ... sp. dubia | — | 122 | — 0 | — » | . 45 *d* |
| — (medianus ... var. | — | » | — 0 | — » | sub 44 |
| — (gairdneri ... » | — | 123 | — 0 | — » | . 45 |
| — (meridionalis ... » | — | 124 | — 0 | — » | sub 44 |
| — (turati ... sp. dubia | — | 125 | — 29 | — » | . 45 *c* |
| — feliciæ | — | 127 | — 28 | As. med. | . 61 *b* |
| — callonotus | — | 129 | — 30 | Am. trop. | . 99 |
| *b*) — hyperythrus | — | 130 | — » | As. med. | . 90 |
| — ruber | — | 132 | — 31 | Am. sept. | . 97 |
| *c*) — querulus | — | 134 | — » | » » | . 52 |
| — borealis ... var. pr:s | — | 136 | — 0 | » » | sub 52 |
| — bicolor | — | 137 | — 4 | » trop. | . 50 |
| — variegatus | — | 139 | — 33 | As. mer. | . 84 |
| — (freniger = præc. | — | 141 | — 0 | » » | sub 83 |
| — (canicapillus ... sp. dubia | — | » | — 0 | » » | . 84 *b* |
| — mitchelli | — | 142 | — 32 | » » | . 77 |
| — moluccensis | — | 143 | — 32 | » » | . 85 |
| — nanus | — | 145 | — 33 | » » | . 83 |
| — pygmæus | — | 147 | — 34 | » » | . 78 |
| — semicoronatus | — | 148 | — » | » » | . 76 |
| — auritus | — | 150 | — 35 | » » | . 74 |
| — meniscus | — | 151 | — » | » » | . 81 |
| — otarius | — | 152 | — » | » » | sub 83 |
| — (gymnophthalmus | — | 153 | — 0 | » » | . 82 |
| — kisuki | — | 154 | — 36 | » med. | . 80 |
| — temminckii | — | 155 | — » | » mer. | . 86 |
| 4 (Sphyrapicus.) | | | | | |
| — varius | I pag. | 157 | — 37 | Am. sept. | . 98 |
| — thyroideus | — | 162 | — » | » » | . 95 |
| — williamsoni | — | 163 | — 36 | » » | . 96 |
| 5 (Picoides La C.) | | | | | |
| — europæus | I pag. | 170 | — 38 | Eur. — | . 36 |
| — arcticus | — | 175 | — 39 | Am. sept. | . 40 |
| — americanus | — | 176 | — » | — » | . 39 |
| — dorsalis | — | 179 | — 0 | — » | . 38 |
| — crissoleucus | — | 180 | — 40 | As. sept. | . 37 |
| — lecontii | — | 182 | — » | Am. sept. | sub 44 |
| — (Sp. spuriæ) | — | 184 | — 0 | | . 39 nota |

| | | Malherbe. | | Patria. | Consp. nostri |
|---|---|---|---|---|---|
| 6 (Micropicus.) | | | | | |
| | — concretus | I pag. 187 | tab. 41 | As. mer. | n:o 26 *b* |
| | — hartlaubi | — 189 | — » | — » | . 26 |
| | — canente | — 190 | — 42 | — » | . 27 |
| 7 (Dendropicus.) | | | | | |
| | — biarmicus | I pag. 193 | — 42 | Afr. mer. | . 122 |
| | — schoensis | — 195 | — » | — or. | . 123 |
| | — fulviscapus | — 196 | — 43 bis | — mer. | . 124 |
| | — hemprichi | — 194 | — 43 | — or. | . 126 |
| | — hartlaubi | — 201 | — 44 | — » | . 125 |
| | — desmursi | — 202 | — 42 | — » | . 129 |
| | — lafresnayi | — 204 | — 44 | — occ. | . 127 |
| | — (africanus sp. inc. | — 205 | — 0 | — | . 123 *b* |
| | — obsoletus | — 206 | — 45 | — or. | . 92 |
| | — minutus | — 208 | — » | — occ. | . 130 |
| 8 (Phaiopicus.) | | | | | |
| *a*) | — rufinotus | Vol. II pag. 1 | tab. 46 | As. mer. | n:o 246 |
| | — jerdoni | — 3 | — 47 | — » | . 247 |
| | — brachyurus | — 5 | — 46 | — » | . 248 |
| | — badiosus | — 6 | — 0 | — » | . 251 |
| | — (sordidus sp. dubia | — 8 | — 0 | — » | sp. inc. 5 |
| | — pectoralis | — » | — 47 | — » | post. 253 |
| *b*) | — tristis | — 10 | — 48 | — » | . 254 |
| | — jugularis | — 11 | — 0 | — » | sp. inc. 4 |
| | — grammithorax | — 12 | — 48 | — » | . 254 *b* |
| 9 (Celeopicus.) | | | | | |
| *a*) | — rufus | II pag. 13 | — 50 | Am. trop. | . 242 |
| | — verreauxi | — 14 | — 51 | — » | . 240 |
| | — fraseri | — 16 | — 43 bis | — » | sub 244 |
| | — multifasciatus | — » | — 50 | — » | . 243 |
| | — (loricatus = præc. | — 18 | — 0 | — » | . 244 |
| | — grammicus | — » | — 51 | — » | . 241 |
| | — lugubris | — 19 | — 54 | — » | . 233 |
| | — flavescens | — 21 | — 53 | — » | . 232 |
| | — ochraceus | — 23 | — 54 | — » | . 234 |
| | — (flavicollis sp. inc. | — 24 | — 0 | — » | post 245 |
| | — castaneus | — 25 | — 50 | — » | . 239 |
| | — (semicinnam. sp. inc. | — 26 | — 0 | — » | sub 238 |
| | — jumana | — 27 | — 55 | — » | . 237 |
| | — reichenbachi | — 28 | — 56 | — » | . 236 |
| | — (smaragdinicollis sp. compos. | — 30 | — 0 | — » | . » |
| | — exalbidus | — 30 | — 55 | — » | . 238 |
| | — cinnamomeus | — 32 | — 56 | — » | . 235 |
| *b*) | — multicolor | — 34 | — 52 | — » | . 231 |
| | — tinnunculus | — 36 | — » | — » | . 230 |
| *c*) | — pyrrhotis | — 37 | — 49 | As. mer. | . 134 |
| | — porphyromelas | — 39 | — » | — » | . 135 |
| 10 (Mesopicus.) | | | | | |
| *a*) | — pyrrhogaster | II pag. 41 | — 58 | Afr. occ. | . 131 |
| | — capensis | — 42 | — 62 | — mer. | . 132 |
| | — goertan | — 45 | — 63 | — occ. | . 133 |
| | — (immaculatus = pr. | — 47 | — 0 | — » | sub 132 |
| | — (poicephalus = id. | — 48 | — 0 | — » | sub 133 |
| | — spodocephalus | — 49 | — 63 | — or. | . 133 *a* |
| *b*) | — fumigatus | — 51 | — 57 | Am. trop. | . 103 |
| | — caboti | — 53 | — » | — » | . 104 |
| | — oleagineus | — 54 | — » | — » | . 102 |
| | — kirtlandi | — » | — 58 | — » | . 114 |
| | — cassinii | — 55 | — » | — » | . 113 |
| | — affinis | — 56 | — 61 | — » | . 109 |

| | | Malherbe. | | Patria. | Consp. nostri |
|---|---|---|---|---|---|
| (Mesopicus contin.) | | | | | |
| —? | tænionotus | II pag. 58 | tab. 0 | Am. trop. | n:o 116 |
| — | passerinus | — 59 | — 62 | — » | . 115 |
| — | spilogaster | — 62 | — 0 | — » | . 121 |
| — | murinus | — » | — 58 | — » | . 119 |
| — | adspersus | — 64 | — 60 | — » | . 121 |
| — | olivinus | — 65 | — 59 | — » | . 118 |
| — | selysii | — 67 | — 62 | — » | . 110 |
| — | nigriceps | — 68 | — 59 | — » | . 120 |
| — | kirkii | — 70 | — » | — » | . 106 |
| — | ceciliæ | — 71 | — 60 | — » | . 107 |
| — | hæmatostigma | — 72 | — 61 | — » | . 111 |
| — | sanguineus | — 74 | — 60 | — » | . 105 |
| — | sanguinolentus | — 76 | — 43 bis | — » | . 100 |
| 11 (Indopicus.) | | | | | |
| — | sultaneus | II pag. 77 | — 64 | As. mer. | . 219 |
| — | delesserti | — 79 | — » | — » | . » |
| — | strictus | — 80 | — 65 | — » | . » *b* |
| — | goensis | — 82 | — 66 | — » | . 223 |
| — | hæmatribon | — 84 | — 68 | — » | . 221 |
| — | philippinarum | — 85 | — 66 | — » | . 220 |
| — | carlotta | — 87 | — 67 | — » | . 222 |
| 12 (Brahmapicus.) | | | | | |
| — | erythronotus | II pag. 90 | — 69 | As. mer. | . 227 |
| — | puncticollis | — 92 | — 70 | — » | . 226 |
| — | bengalensis | — 93 | — 69 | — » | . 224 |
| 13 (Chloropicoides.) | | | | | |
| *a*) — | tiga | II pag. 97 | — 71 | As. mer. | . 228 |
| — | intermedius | — 99 | — 0 | — » | . » *b* |
| — | rubropygialis | — 100 | — 70 | — » | . » *c* |
| — | shorii | — 101 | — 71 | — » | . 229 |
| *b*) — | rafflesii | — 102 | — 72 | — » | . 165 |
| *c*) — | grantii | — 104 | — 72 | — » | . 136 |
| 14 (Chloropicus.) | | | | | |
| *a*) — | flavinucha | II pag. 106 | — 73 | As. mer. | . 166 |
| — | chlorolophus | — 108 | — 74 | — » | . 169 |
| — | puniceus | — 110 | — 74 | — » | . 168 |
| — | mentalis | — 112 | — 75 | — » | . 167 |
| — | xanthoderus | — 114 | — » | — » | . 170 |
| — | miniatus | — 116 | — 76 | — » | . 171 |
| *b*) — | viridis | — 118 | — 79 | Eur. | . 175 |
| — | vaillantii | — 122 | — 82 | Algier. | . 177 |
| — | canus | — {124 et 294} | tab. 81 | Eur As. sept. | . 181 |
| — | (karelini .......... sp. dubia | — 126 | tab. 0 | | . 181 |
| — | guerini | — 127 | — 80 | As. med. | . 180 |
| — | avokera | — 128 | — » | — » | . 176 |
| — | occipitalis | — 129 | — 77 | — mer. | . 178 |
| — | squamatus | — 131 | — 78 | — » | . 173 |
| — | dimidiatus | — 133 | — 76 | — » | . 172 |
| — | striolatus | — 134 | — 77 | — » | . 174 |
| *c*) — | polyzonus | — 136 | — 83 | Am. trop. | . 31 |
| — | aurulentus | — 137 | — 84 | — » | . 28 |
| — | capistratus | — 140 | — 83 | — » | . 32 |
| — | chrysochloris | — 141 | — 84 | — » | . 30 |
| — | erythropsis | — 143 | — 87 | — » | . 33 |
| — | chlorocephalus | — 144 | — 86 | — » | . 34 |
| — | leucolæmus | — 145 | — 85 | — » | . 35 |
| *d*) — | percussus | — 147 | — 86 | — » | . 138 |

| | | | Malherbe. | | | Patria. | | Consp. nostri | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 (Chrysopicus.) | | | | | | | | | |
| a) | — gabonensis | II | pag. | 149 | tab. 91 | Afr. | occ. | n:o | 184 |
| | — nivosus | | — | 151 | — 92 | — | » | . | 164 |
| | — brachyrhyuchus | | — | 152 | — 91 | — | » | . | 182 |
| b) | — chrysurus | | — | 153 | — 94 | — | mer. | . | 188 |
| | — maculosus | | — | 156 | — 92 | — | òcc. | . | 183 |
| | — caroli | | — | 157 | — 91 | — | occ. | . | 163 |
| c) | — nubicus | | — | 159 | — 93 | — | or. | . | 192 |
| | = æthiopicus | | — | » | — 94 | | | | |
| | — notatus | | — | 162 | — 95 | — | mer. | . | 191 |
| | — punctuligerus | | — | 164 | — 92 | — | occ. | . | 193 |
| | — variolosus | | — | 165 | — 95 | — | mer. | . | 186 |
| | — calliaudi | | — | 167 | — 0 | — | » | sub | 188 |
| | — capricorni | | — | 169 | — 0 | — | » | . | 187 |
| | — brucei | | — | 170 | — 93 | — | » | . | 190 |
| d) | — æruginosus | | — | 171 | — 90 | Am. | trop. | . | 199 |
| | — canipileus | | — | 173 | — » | — | » | . | 196 |
| | — rubiginosus | | — | 174 | — 89 | | » | . | 197 |
| | — perspicillatus | | — | 176 | — 114 | — | » | post | 199 |
| e) | — atricollis | | — | 178 | — 88 | — | » | . | 213 |
| | — cayannensis | | — | 179 | — 87 | — | » | . | 205 |
| | — (guttifer | | — | 181 | — 0 | — | » | . | 207 |
| | — icteromelas | | — | 182 | — 88 | — | » | . | 208 |
| | — chlorozostus | | — | 184 | — 84 bis | — | » | . | 211 |
| | — melanolæmus | | | 185 | 89 | — | » | . | 212 |
| | — melanochlorus | | — | 187 | — 84 bis | — | » | . | 210 |
| | — chrysomelas | | — | 189 | — 89 | — | » | . | 209 |
| 16 (Melampicus.) | | | | | | | | | |
| a) | — dominicanus | II | pag. | 217 | — 101 | Am. | trop. | . | 139 |
| b) | — erythrocephalus | | — | 209 | — 97 | — | sept. | . | 140 |
| | — portoricensis | | — | 205 | — » | — | trop. | . | 141 |
| | — formicivorus | | — | 199 | — 99 | — | sept. | . | 145 |
| | — flavigula | | — | 202 | — » | — | trop. | . | 146 |
| | — xantholarynx | | — | 204 | — 100 | — | ? | . | 147 |
| | — torquatus | | — | 214 | — 96 | — | sept. | . | 148 |
| c) | — hirundinaceus | | — | 192 | — 98 | — | trop. | . | 143 |
| | — (meropirostris = pr. | | — | 197 | — 0 | — | » | . | — |
| | — (melanocephalus = » | | — | 195 | — 0 | — | » | . | — |
| | — rubrifrons | | — | 196 | — 98 | — | » | . | 142 |
| | — flavifrons | | — | 207 | — 100 | — | » | . | 144 |
| d) | — herminieri | | — | 198 | — » | — | » | . | 149 |
| 17 (Xenopicus.) | | | | | | | | | |
| | — albolarvatus | II | pag. | 221 | 101 | Am. | sept. | . | 87 |
| 18 (Zebrapicus.) | | | | | | | | | |
| a) | — superciliaris | II | pag. | 223 | — 102 | Am. | trop. | . | 161 |
| | — elegans | | — | 225 | — » | | » | . | 160 |
| | — pucherani | | — | 227 | — 103 | — | » | . | 162 |
| | — hypopolius | | — | 228 | — » | — | » | . | 159 |
| | — (gerini sp. inc. | | — | 231 | — 0 | — | » | . | 162 |
| b) | — striatus | | — | » | — 107 | — | » | . | 150 |
| | — carolinus | | — | 234 | — 103 | — | sept. | . | 155 |
| | — radiolatus | | — | 237 | — 104 | — | trop. | . | 151 |
| | — aurifrons | | — | 240 | — » | — | » | . | 153 |
| | — santa cruzi | | — | 241 | — 105 | — | » | sub | 152 |
| | — erythrophthalmus | | — | 243 | — » | — | » | . | 152 |
| | — kaupii | | — | 245 | — 106 | — | » | . | 156 |
| | — tricolor | | — | 247 | — » | — | » | . | 158 |
| | — rubriventris | | — | 248 | — 107 | — | » | sub | 158 |
| | — (aurocapillus sp. inc, | | — | 250 | — 0 | — | | post | 162 |

| | | Malherbe. | | Patria. | Consp. nostri |
|---|---|---|---|---|---|
| 19 (Geopicus.) | | | | | |
| a) — | campestris | II pag. 251 | tab. 188 | Am. trop. | n:o 214 |
| — | agricola | — 254 | — » | — austr. | . 215 |
| — | auratus | — 255 | — 109 | — sept. | . 201 |
| — | ayresii | — 260 | — 0 | — » | . 201 *b* |
| — | chrysoides | — 261 | — 109 | — » | . 202 |
| — | mexicanus | — 262 | — 110 | — » | . 203 |
| — | rubicatus | — 265 | — » | — » | . 204 |
| — | rivolii | — 267 | — 112 | — trop. | . 200 |
| — | chilensis | — 269 | — 111 | — austr. | . 217 |
| — | rupicola | — 271 | — 113 | — trop. | . 216 |
| — | fernandinæ | — 273 | — » | — » | . 218 |
| b) — | arator | — 274 | — 111 | Afr. mer. | . 195 |

S:a 277 nomina, quorum 246 sp. bene cognitas et 31 sp. incertas vel spurias designant.


---

## *Distributio Picorum Geographica.*

Hæc partim ex ipsa expositione speciali apparet. Dispositio enim systematica plerumque cum geographica congruit. Subdivisiones (vel si mavis, subgenera) Picorum inspicientes, mox animadvertimus, omnes species cujusque divisionis, ubi plures adsunt, non solum inter se ita similes esse, ut plerumque vix nisi varietates unius appareant, sed etiam, omnes unam regionem terræ naturalem inhabitare, ubi facilius ab uno loco ad alterum migrare potuerint. Observamus etiam, illas præsertim species paullo magis a typicis differre, quæ ad limites regionis inveniuntur. Si vero eadem forma subgenerica in regionibus diversis bene distinctis, invenitur, species cujusque regionis notâ quadam peculiari et constanti, sæpius vero levissima, differunt. — Sic Pici nigrovarii (Tribus nostra 5:ta) americani constanter a sp. veteris orbis dignoscuntur, quod characteribus divisionum indicavimus: sp. tridactylæ veteris orbis rectrices utrinque duas, americanæ utrinque tres, albovarias habent. Sp. tetradactylæ majores veteris orbis abdomine rubro ab americanis differunt. Sp. utriusque orbis meridionales in genere parvæ, plerumque fuscescentes sunt; maxime vero meridionales rectrices medias albomaculatas habent (de quibus, cf. divisiones Tribus 4:tæ). — *Picus major* æque in Asia media et septemtrionali ac in Europa invenitur; sed reliquæ species (vel varietates) ejusdem divisionis regiones minores, ad ambitum territorii magni sitas, inhabitant: ut Chinam, Himalayam, Persiam, Syriam, Africam septemtrionalem (P. syriacus et sp. ei affines in his numerantur). Eodem modo, in America septemtrionali *P. villosus* et *P. pubescens*, per plures formas maxime affines, vel vix distinctas, in Mexico et California repræsentari videntur.

Pleræque Tribus Picorum non nisi unam partem telluris principalem inhabitant; tantummodo Tribus nostræ 1, 5 et 6 in duabus simul inveniuntur, sc. America septemtrionali et Europa cum Asia. Aves autem harum regionum formâ vel picturâ paullum diversâ dignoscuntur. Differentiæ tamen inter Picos Americanos et Picos veteris orbis harum Tribuum minores sunt, quam quæ Tribus diversas designarent.

Quia igitur Tribus pleræque non nisi unam partem telluris principalem inhabitant, necesse accidit, ut aliæ regiones alias Tribus Picorum contineant et ut Pici ejusdem regionis plerumque ipso habitu agnoscantur: distributio vero Tribuum in tabula suffixa apparet. Videmus quoque partes telluris principales, secundum distributionem Picorum, easdem esse, quas in plerisque disquisitionibus zoologico-geographicis invenire solemus. Hæ vero sunt:

1:o. America tota, quam primam nuncupamus, quia ceteras regiones numero Picorum longe antecellit. Præter Tribus tres, americæ cum regione secunda communes, hæ unice americanæ sunt: Tr. 4, 7, 12, 13, 14, 15, 22—26 et 29. Species vero ibi cognitæ sunt 132.

2:o. Regio Europæo-Asiatica, seu terra continens cum insulis sundicis et Africa maxime septemtrionali. Hic enim tractus s. Numidia et Mauretania, hodie Tunis, Algier et Marocco, tota sua natura, ab Africa reliqua differt. Pici species 3, ibi inventæ, affines sunt europæis: *P. minor,* idem ac europæus; *P. numidicus,* maxime affinis P. majori, et *P. algirus*, medius inter P. viridem et P. canum. Regioni Europæo-Asiaticæ, maximæ omnium, præter specias numerosas Tribuum 1, 5 et 6, hæ Tribus integræ peculiares sunt: 2, 3, 10, 11, 17, 18, 19, 27, 28, 30; ibi vero species 90 huc usque numerantur.

3:o. Africa propria, a desertis magnis meridiem versus sita, formas Picorum sibi peculiares tantummodo continet. Hæ vero sunt: sp. 2 anomalæ Tribus 6:tæ, Tribusq. 8, 9, 16, 20 et 21 totæ. Species ibi cognitæ sunt 32.

4:o et 5:o. Madagascar et Australia (cum insulis moluccanis et Polynesia) Picis omnino carent.

Regio hyperborea, ultra limites arborum et silvæ (cum Groenlandia et Islandia) Picos nullos alere potest; sed in regione silvatica boreali Pici adsunt ejusdem formæ, ac ii qui in eodem continenti vigent. Pici autem nigrovarii, veteris orbis et americani, ceteros, septemtriones versus, numero excedunt. Ibi sp. tridactylæ seriem parvam circumpolarem, qualem Lagopus, Canis lagopus, Tarandus, his tamen magis meridionalem constituunt. In Europa Picus minor et P. tridactylus in ultimis fere silvis, circa 70° lat:s inveniuntur; in Asia et America Pici ut videtur nulli ultra 60—62° cogniti sunt.

Subdivisiones regionum telluris principalium, præsertim secundum climata, indicatæ sunt habitatione diversarum Picorum Tribuum sectionumve; limites tamen minus definiti sunt et pro variis Tribubus variant. Tamen, in *America* regio septemtrionalis distingui potest, quæ nullam formam habet peculiarem, sed species plures insigniores Tribuum plurium: P. principalem, pileatum, sp. nigrovarias 3dactylas, P. villosum et pubescentem, P. varium, carolinum, erythrocephalum, auratum; quorum tamen plerique septemtriones versus non longe procedunt. Regioni mexicanæ peculiares sunt multi Pici nigrovarii parvi et fere omnes Pici albofasciati. Regio meridionalis tropica insignior est Picis passerinis, flavifasciatis, fulvicristatis et cet., Regio campestris maxime meridionalis præsertim paucitate Picorum et sp. campestribus a reliquis differt.

In regione Europæo Asiatica, tota pars septemtrionalis et media unam subdivisionem geopraphicam componit, subtribubus Pici majoris et Pici viridis insignem; Asia meridionalis alteram constituit,

Picis brevicaudatis, flavinuchalibus, sultaneis, auropalliatis et acutirostribus definitam. Tertia pars hujus regionis est Africa septemtrionalis, de qua nuper locuti sumus.

*Africa propria*, secundum Picos, vix in regiones minores dividi potest.

## Synopsis distributionis Picorum geographicæ.

| | | | | Numerus sp. in | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | Amer. | | Eur.-As. | | Afr. pr. | |
| **Series 1. *Angusticolles* (35 sp.)** | | | | | | | | | |
| Tribus 1 | principales | | sp. 22 | | | | | | |
| | Sectio prior | | | 12 | | 1 | | . | |
| | — posterior | | | 5 | | 4 | | . | |
| Tr. 2 | squamicipites | Ind. | sp. 3 | . | | 3 | | . | |
| Tr. 3 | parvicaudati | id. | » 2 | . | | 2 | | . | |
| Tr. 4 | auricipites | trop. | » 8 | 8 | 25 | . | 10 | . | 0 |
| **Series 2. *Securirostres* (103 sp.)** | | | | | | | | | |
| Tr. 5 | nigrovarii | | sp. 52 | | | | | | |
| | Sect. 1 tridactyli | | | 3 | | 2 | | . | |
| | — 2 et 3 tetradact albiventres | | | 12 | | 34 | | . | |
| | — 4 nigriventres | | | 1 | | . | | . | |
| Tr. 6 | intermedii | | sp. 11 | 5 | | 4 | | 2 | |
| Tr. 7 | passerini | trop. | » 23 | 23 | | . | | . | |
| Tr. 8 | fulviscapi | | » 9 | . | | . | | 9 | |
| Tr. 9 | menstrui | | » 3 | . | | . | | 3 | |
| Tr. 10 | fuscorubidi | Ind. | » 2 | . | | 2 | | . | |
| Tr. 11 | debilipedes | id. | » 2 | . | | 2 | | . | |
| Tr. 12 | subvirides | Cuba | » 1 | 1 | 45 | . | 44 | . | 14 |
| **Series 3. *Ligonirostres* (80 sp.)** | | | | | | | | | |
| Tr. 13 | dominicani | trop. | sp. 1 | 1 | | . | | . | |
| Tr. 14 | nigropicti | (trop.) | » 10 | 10 | | . | | . | |
| Tr. 15 | albofasciati | (Mexic.) | » 12 | 12 | | . | | . | |
| Tr. 16 | guttiventres | occid. | » 2 | . | | . | | 2 | |
| Tr. 17 | mesospili | Ind. | » 1 | . | | 1 | | . | |
| Tr. 18 | flavinuchales | Ind. | » 7 | . | | 7 | | . | |
| Tr. 19 | virides | (temp.) | » 8 | . | | 8 | | . | |
| Tr. 20 | chrysuri | | » 15 | . | | . | | 15 | |
| Tr. 21 | arator | | » 1 | . | | . | | 1 | |
| Tr. 22 | canipilei | trop. | » 4 | 4 | | . | | . | |
| Tr. 23 | rivolii | » | » 1 | 1 | | . | | . | |
| Tr. 24 | aurati | (septemtr.) | » 4 | 4 | | . | | . | |
| Tr. 25 | flavifasciati | trop. | » 9 | 9 | | . | | . | |
| Tr. 26 | campestres | | » 5 | 5 | 46 | . | 16 | . | 18 |
| **Series 4. *Nudinares* (36 sp.)** | | | | | | | | | |
| Tr. 27 | sultanei | Ind. | sp. 5 | . | | 5 | | . | |
| Tr. 28 | auropalliati | » | » 6 | . | | 6 | | . | |
| Tr. 29 | fulvicristati | trop. | » 16 | 16 | | . | | . | |
| Tr. 30 | acutirostres | Ind. | » 9 | . | 16 | 9 | 20 | . | 0 |
| | | | S:a sp. cogn. 254 | | 132 | | 90 | | 32 |

# CONSPECTUS PICORUM.

Familia naturalis

## *AVES PICINAE*

digito qvarto definite retroverso; basi linguæ longissime extensili.

Rostrum minus crassum, rectum, vel non nisi levissime arcuatum, apice acuto, vel plerumque cuneato, non deflexo; maxillis æqualibus.

Lingua ipsa perparva: plana, brevissima, angusta, acuta, subcornea, hamulis retroversis, tenuissimis armata. Basis vero linguæ, in statu retracto, cylindrum brevem exhibens, cornibus hyoïdeis longissimis, tenuibus, multiarticulatis composita. Hæc vero cornua, inter cutem et cranium, ad latera occipitis in verticem adscendunt et in multis Picis usque ad basim rostri extenduntur, semper vero magis minusve oblique procedunt. Ope tegminis muscularis et cutis oris extensilis, basis linguæ extra rostrum longissime exseri potest, cornua descripta retrahendo. — Hæc structura Picariis peculiaris; nam in Trochilis, Nectariniis pluribusque, non solum basis extensilis, sed ipsa lingua elongata, vario modo formata.

Rectrices 10, æquales, vel mediæ gradatim, paullo longiores. — Accedunt vero plumæ duæ, rectricibus similes, sed minimæ, rectrices spuriæ dicendæ potiusque tectrices firmiores habendæ: supra basim rectricum lateralium impositæ.

Genera tria principalia huc referenda: *Picus*, cauda elastica, acuta; *Picumnus*, cauda molli, brevissima, et *Iynx*, cauda molli, mediocri, obtusa.

---

### Genus I. PICUS L.

a reliquis differt rectricibus firmioribus, gradatis, acutis, scapo crasso, forti, elastico insignibus.

Synopsis subdivisionum generis:

Series 1 *Angusticolles:*

collo angusto, elongato; naribus setis tectis. (Rectrices nigræ vel fuscescentes, immaculatæ).

Tribus 1 *Principales:* rostro valido, carinis nasalibus altis, late inter se distantibus; cauda elongata. Majores, colore principali nigro. Sp. 1—22.

Tr. 2 Squamicipites: rostro valido, carinis nasalibus obsoletis, prope culmen sitis; plumis capitis collique brevissimis, rigidis. Majores colore nigricantes. Sp. 23—25.

Tr. 3 Parvicaudati: rostro forti, carinis fere ut in Tr. 6ta formatis; cauda brevi, obtusiore. Parvi, fuscescentes. Sp. 26—27.

Tr. 4 Auricipites: rostro breviore, carinis altis, minus distantibus. Sp. minores, colore virentes, capite præsertim flavo vel rubropicto.

Series 2 *Securirostres*

collo non angustato; naribus setis tectis; rostro valido, cuneato, carinis nasalibus inter se latissime distantibus.

Tr. 5 Nigrovarii: nigri, albovarii, rostro fortissimo, non compresso, lateribus apicis bicarinatis. Sp. mediæ vel minores, interdum fuscescentes, non virescentes. 30—87.

Tr. 6 Intermedii: similes præcedentibus, rostro paullo debiliore, medio compresso, lateribus apicis vix carinatis. Sp. 88—98.

Tr. 7 Passerini: parvi, virentes vel rubri, rostro breviore, sed forti et ut in præcedentibus formato. Sp. 99—121.

Tr. 8. Fulviscapi: minores vel medii, fuscescentes, maculati, scapis remigum et rectricum flavis. Sp. 122—130.

Tr. 9 Menstrui: virentes, ventre medio longitudinaliter rubro vel flavido. Sp. subminores, 131—133.

Tr. 10 Fuscorubidi: submajores, fuscescentes, sordidius rubropicti. Sp. 134—5.

Tr. 11 Debilipedes: sp. mediæ, fuscovirentes, paullum rubidopicti, pedibus tridactylis, minoribus. Sp. 136—7.

Tr. 12 Subvirides: medii, purius virides, tetradactyli. Sp. 138 sola. — Obs. hæc tribus et 2 præcedentes habitu et pictura caudæ similes sunt Picis viridibus (Tr. 19) eisque affinibus; differunt carinis rostri.

Series 3 *Ligonirostres*

collo non angustato; naribus tectis. Rostri carinæ nasales juxta culmen sitæ (vel saltem culmini quam tomiis propiores); plerumque antice obsoletæ.

*) Americani, scapis fuscis.

Tr. 13 Dominicani: medii, nigri et albi, non fasciati; carinis rostri latius distantibus. Sp. 139.

Tr. 14 Nigropicti: subminores, nigri, rubro vel flavo alboque picti. Sp. 140—149.

Tr. 15 Albofasciati: subminores, superne albido nigroque fasciati. Sp. 150—161.

Tr. 16 Guttiventres: minores, fuscovirides, subtus alboguttati. Sp. 162 et 3.

**) Veteris orbis, scapis fuscis.

Tr. 17 Mesospili: sp. mediæ magnit:s, virens, pedibus 3-dactylis; cauda tota nigra; maculis remigum perpaucis albis, non marginalibus. Sp. 164.

Tr. 18 Flavinuchales: medii, virides vel rubro tincti, crista occipitis rubra vel virente, cervicis flava. Sp. 165—171.

Tr. 19 Virides: majores, non cristati, virides (vel canescentes), uropygio flavescente. Sp. 172—9.

***) Flaviscapi veteris orbis.

Tr. 20 Chrysuri: minores vel medii, virentes, gastræo nigrovario; cauda obsoletius vel vix fasciata. Sp. 180—194.

Tr. 21 Aratores: sp. cognita fuscescens, tergo ventreque rubro indutis; rostro longiore, leviter curvato, apice obtuso. Sp. 195.

****) Flaviscapi americani.

Tr. 22 Canipilei: minores, fuscolutescentes, pileo fuscocinereo, (plerumque) postice late rubro. Sp. 196—9. — (Simillimi Chrysuris, sect. 1).

Tr. 23 Rivolii: sp. cogn. submajor, dorso alisque rubris, gutture infimo squamoso-picto; rostro longiore. Sp. 200.

Tr. 24 Aurati: grisescentes capite fere concolore, uropygio albo, fascia antepectorali maculisque corporis nigris. Rectrices superne nigræ, subtus, fere ad $\frac{3}{4}$, flavæ vel rubræ, scapo concolore. Sp. 201—4.

Tr. 25 Flavifasciati: medii, nigri, flavifasciati, pileo utriusque sexus nigro, postice late rubro; rostro subbreviore, cuneato. Sp. 205—13.

Tr. 26 Campestres: majores, superne nigricantes, albidofasciati, uropygio albido; rostro longiore, sæpe obtuso. Sp. 214—18.

## Series 4 *Nudinares.*

Nares apertæ, plumis setosis carentes. Collum et rostrum varia.

Tribus 27 Sultanei: majores, cristati, superne luteo vel rubro nitentes, rostro valido, superne recto, apice cuneato, carinis nasalibus late distantibus. Sp. 219—23.

Tr. 28 Auropalliati: medii, cristati, superne luteo vel rubro nitentes, rostro debiliore, culmine subcurvato, carinis prope culmen sitis. Digitus 1 perparvus vel nullus. Sp. 224—9.

Tr. 29 Fulvicristati: medii, flavo vel rufo et nigro-picti; pileo flavo, fulvo vel rufescente, plumis longis, firmioribus cristato. Rostrum apice plus minusve cuneatum; digitus 4 tertio brevior. Sp. 230—45.

Tr. 30 Acutirostres: minores, rufi vel fusci, crista brevi, occipitali; rostro brevi, convexo, apice acuto! carinis obsoletis. Digitus 4:us tertio subæqualis vel longior; hallux plerisque minutus. Sp. 246—254.

# PICI SPECIES.

## *Series 1.* Pici Angusticolles

*plumis colli brevibus, adpressis* (quare collum angustum et elongatum apparet). Nares setis densis tectæ. Rostrum semper forte, rectum, apice cuneatum.

### TRIBUS 1. *Pici principales*

rostro capiti æquali vel longiori, valido, carinis nasalibus inter se late distantibus, altis, acutis. — Sp. magnæ vel maximæ, nigræ, plerumque albo et, in capite, rubro-pictæ. Cauda longior (circiter $\frac{2}{3}$ alæ æqualis), nigra, unicolor, pennis valde gradatis, apice elongato instructis. Ala quoque magna. Furca menti longius ante nares, non vero ante medium suturæ, desinit.

**Sectio Prior.** Digitus quartus tertio multo longior. Rostrum validius, carinis nasalibus latissime distantibus; furca menti vix ante $\frac{1}{3}$ suturæ extensa. — Genus Campophilus Gray, Agass.; — Mēgapicus! Malh. (correctius Megalopipo); — species hodie in multa genera distributæ, quæ v. infra.

1:o. Species Americanæ

crista occipitis (plerumque) rubra, acuta. Cauda non brevior quam $\frac{2}{3}$ alæ.

*a*) Sp. maximæ, alis longis præditæ:

penna cubiti prima $\frac{3}{4}$ alæ non excedit. Rostrum crassum, capite multo longius. Venter omnium niger. (Plcræque extra-tropicales).

1. PICUS *imperialis* Gould Z. Proc. 1832, 140; — Malh. Mon. Pic. I p. 2, tab. 1; — *Campoph. imp.* Mus. Hei . IV, Heft. 2, p. 101; — niger pennis cubiti scapulisque albis. Crista occipitis *maris* rubra, *feminæ* nigra longissima, apice recurva. — Maximus Picorum omnium: longitudo totalis 660 mm; Alæ 310—320 mm. Latera colli non albolineata. Plumæ nasales nigræ. Remiges omnes basi, intus, nigræ; primariæ ultimæ apice albæ. Ro-trum album. (Mus. Britann.). — Habitat in *California;* quasi forma occidentalis, major, pro sequenti.

2. PICUS *principalis* L. S. N. X. (Catesby, I, 16); — Lth. 3; — Malh. I, p. 4, t. 1; — *Camp. princ.* Mus. Hein. 100; — niger, linea colli laterali, per scapulas ducta, pennisque cubiti albis. — Similis præcedenti; paullo minor, ala 250 mm, colloque lineato. Plumæ narium albæ. Remiges et diff. *sexus* ut prioris. Rostrum album. — Ex *America septemtrionali* calidiore, orientem versus: Texas, Ludoviciana et cet. (Mus. Stockh.).

2 *b*. Varietas s. stirps insularis: *Camp. bairdii* Cassin Philad. Proc. 1863, 322; — simillimus P. principali sed paullo minor: ala 236 mm ($9\frac{1}{4}$ poll. angl.); linea colli alba usque ad basim rostri continuata (in P. principali non ante oculum extensa). Plumæ nigræ, ante cristam maris, longiores quam plumæ cristæ rubræ (in altero, plumæ nigræ rubris breviores). Hab. in *Cuba* (Cassin).

3. PICUS *magellanicus* King Z. Journ. 1828; — Malh. I. 8, t. 2; — *Ipocrantor magell.* M. Hein. 99; — niger pennis cubiti* intus apiceque albis. *Mas* capite colloque, cum crista, rubris; *femina* capistro solo rubro. — Crista utriusque sexus longa, recurva. Rostrum nigrum. Ala 215—220 mm. — Habitat in America maxime meridionali, prope *fretum magellanicum.* (Mus. Britann. Berol.).

*b*) Sp. magnæ, alis brevioribus instructæ.
(penna cubiti prima $\frac{4}{5}$ vel $\frac{5}{6}$ alæ attingit). Rostrum capite paullo longius. Venter (præter sp. 9) pallidus, plerisque fasciatus. (Incolæ zonæ torridæ).

1. *Collo utrinque linea alba, ad scapulas ducta, picto.*
(Scapaneus Mus. Hein. 90).

*) Remiges intus albæ (non maculatæ).

4. PICUS *melanoleucus* Gm. — Lath. sp. 7 (ex Gen. Syn. I, 558, n:o 6 t. 25: femina juv. in spir. vini decolorata); — Mus. Hein. 90 (*Scap. mel.*); — *P. albirostris* Vieill. Enc. 1304; — Malh. I, 17, t. 4; — niger, ventre fulvo-albido, nigrofasciato; rostro (senioris) albo; tergo guttureque totis nigris. Caput rubrum; in *mare* macula auris alba, superne nigra; loris plumisque in basi maxillæ inferioris albis, genis rubris; — in *femina*, crista superne fronteque nigris; vitta genarum lata, alba, nigromarginata, a rostro incepta, cum linea colli contigua. — Remiges intus pure albæ. Linea colli per scapulam, ad dorsum medium extensa. Ala circiter 190 mm. — *Brasilia, Guyana* (Mus. Stockh.).

5. PICUS *malherbei* Gray Genera (Campeph.); — Malh. I, 15, t. 6; — Mus. Hein. 93 (Scap.); — præcedenti simillimus, differt rostro fusco; ventre magis rufescente, fasciis nigris paullo latioribus picto. Præterea diff. *sexus*, magnitudo omnisque descriptio prioris. — *Bogota* (Mus. Stockh. Malh.).

6. PICUS *guatimalensis* Hartl. Rev. Zool. 1844, 214; — Malh. I, 19, t. 7; — Mus. Hein. 92 (Scap.); — similis duobus præcedentibus; differt vero: facie tota rubra, absque pictura alba, remigibusque intus pallide flavis. Rostrum albidum. Venter albidus, nigrofasciatus. Ala 180 mm. *Mas* capite toto cum gula rubro; *femina* pileo gulaque nigris; capite reliquo rubro, immaculato. — *Mexico* (Mus Stockh.; Berol.).

7. PICUS *sclateri* Malh. I, 22 et 165; ♀ t. 8 (sign. P. malherbei); ♂ t. 35; — Mus. Hein. l. c.; — Iterum simillimus P. melanoleuco (n:o 4); differt vero: tergo fulvo, nigrofasciato. Caput *maris* rubrum, linea laterali angusta, alba, ab angulo oris incepta; — *feminæ* rubrum (etiam superne), linea laterali, (ut in n:o 4) latissima. — Gula utriusque sexus nigra; rostrum fuscescens. — *Ecuador* (Mus. Berol.).

**) Remiges nigræ, intus albomaculatæ.

8. PICUS *pollens* Bonap. 1845; — Mus. Hein. 94 (Scap.); — *P. grayi* Malh. 1849; — Mon. I, 13, t. 5; — niger ventre fulvo, minus crebre nigrofasciato; linea colli, a naribus ad scapulas ducta, dorsoque medio et postico albis. Pileus cristatus, *maris* ruber, *feminæ* niger. — Guttur, cervix et latera capitis nigra. Remiges fere omnes apice brevi maculisque pogonii interni fere 4 albis. Ala 175 mm. — *Bogota* (M. Stockh., Berol.). — Sp. a præcedentibus paullum differens: ala vix longior qv. in sp. javana (n:o 13): pennæ cubiti $\frac{7}{8}$ alæ fere attingunt.

2. *Collo non albolineato, vel linea non ad scapulas ducta.* (Phloeoceastes Mus. Hein.).

9. PICUS *boiei* Wagl. Syst. sp. 3; — Malh. I, 10, t. 3; — *Phl. boiei* Mus. Hein. 97; — niger, ventre concolore, dorso margineque carpi albis; capite cum gula rubro. *Mas*, macula auris alba, superne nigra; *femina*, fronte cristaque superne nigris; vitta e naribus, sub oculos ducta, alba, nigromarginata. Rostrum album. Remiges basi, intus, pallide rufæ. Ala 185 mm. — *Brasilia* (Malh.; ipse non vidi).

10. PICUS *rubricollis* Gm. (Buff.; Pl. Enl. 612); — Lth. 6; — Malh. I, 25, t. 8; — Mus. Hein. 96 (Phl.); — niger, dorso concolore; capite colloque toto rubris; ventre rufo immaculato. — *Mas*, macula auris parva, fusca, vel nigra albaque; *femina*, vitta a naribus ad aures ducta, alba, nigromarginata. Rostrum albidum. Remigum pogonium internum, a basi ultra medium, saturate rufum, scapo ibi concolore. Pog. externum nigrum, sed (saltem in mare seniore) juxta scapum angustius rufum. Ala 180 mm. — *Guyana* (Mus. Stockh.); *Brasilia septemtr.* (M. Hein. ex Mus. Berol.)

10 *b*. Forma occidentalis? *P. trachelopyrus* Malh. p. 26, t. 8; — Mus. Hein. l. c.; — a P. rubricolli non differt nisi pogonio remigum externo, a basi ad medium, rufo, non nigromarginato. *Bolivia, Peru* (Malh. — Mihi ignotus).

Conf. obs. de P. rubricollo et P. trachelopyro, Mus. Hein. p. 97, nota, ubi specimina *brasiliensia* pro tertia forma hujus avis, pectore antico rubro agnoscenda, habentur.

11. PICUS *robustus* Freyr. Licht. Verz. 1823, 10; — Malh. I, 23, t. 3; — Mus. Hein. 95 (Phl.); — niger, ventre fulvo nigroque fasciato; dorso medio et postico fulvo-albido (antico nigro-obtecto); capite colloque rubris, crista occipitali brevi, rotundata, (fere ut in sp. 13). Diff. sexus ut in priore: *mas*, macula auris parva, fusca, infra albomarginata; *femina*, vitta a naribus ad aures ducta, alba, nigromarginata. — Rostrum albidum. Remiges nigræ, pogonio interno fasciis 4 v. 5 latis, rufis; externo et scapo totis nigris. Crista occipitis sat brevis. Ala 175 mm. (Mus. Stockh.). — *Brasilia;* et *Regio platensis* (Paraguay Az.).

12. PICUS *hæmatogaster* Tschudi Fn. Per. — Malh. I, 27, t. 9; *Cniparchus hæm.* Mus. Hein. 98; — niger, pileo cum cervice tergoque rubris. Vitta pone oculos brevis nigra, inter lineas 2 latas, flavas sita. Linea hæc inferior, a naribus orta, in *mare* brevis; in *femina*, per

collum superius continuata. Guttur totum nigrum. Gastræum reliquum in *juvene* fulvum, nigrofasciatum, in *adultis* rubrum. Remiges nigræ, intus maculis 3, vel 2, albis, magnis. Rostrum fuscum. — *Peru, Ecuador, Nova Granada* (Malh.; mihi ign.).

2:do. SPECIES VETERIS ORBIS

crista occipitis brevissima rotundata, vel vix ulla. Cauda paullo brevior quam $\frac{2}{3}$ alæ. Ala rotundata, brevior quam in plerisque americanis: penna cubiti prima $\frac{7}{8}$ longitudinis alæ attingit. Alarum tectrices inferiores, in sp. cognita fuscæ, pallidimaculatæ; (in sp. americanis albidæ, unicolores. Sexus colore differunt: femina fuscescens. Mira autem conformitas partium omnium cum Picis americanis supra descriptis. — (Genus Xylolepes Mus. Hein. 108).

13. PICUS *validus* Reinw. Temm. Col. 378 et 402; — Wagl. Syst. sp. 13; — Malh. I, 28, t. 9; — Mus. Hein. 108 (Xylol.); — remigibus fuscis, fasciis 4 rufis, latis, per utrumque pogonium scapumque pictis. Macula ante apicem quoque rufa. — *Mas.* caput, collum totusque venter dilutius rubra, plumis mollibus, nitidis, basi fuscis. Gula et latera capitis, infra oculos, nitide lutea, linea malari interjecta pallide rubida, parum apparente. Alæ, scapulæ et cauda fusconigræ, remigibus rufofasciatis. Dorsum totum, cum uropygio, plumis basi pallidis, apice rubris, (sed, ut in P. robusto pluribusque americanis, a scapularibus alisque fere occultandis). Rostrum pallide fuscum, flavidum. Ala 145 mm. (M. Sthm.).

*Femina* fuscescens, remigibus ut in mare pictis. Caput superne obscure fuscum, gula pallida. Dorsum totum fulvoalbidum; Alæ antice et scapulæ nigrofuscæ. Gastræum et collum dilutius fusca. Ala 158 mm. (M. Stockh.).

Habitat in *Java, Borneo, Malacca, Sumatra.*

**Sectio Posterior:** Digitus 4:tus tertio brevior. Carinæ rostri nasales inter se paullo minus late distant: ad nares, culmini, quam tomiis, paullulo propiores. Gen. Dryocopus rec. (post Boie, typo P. martio); — Dryopicus! Malh., — Picus propr. Gray, List. (typo P. martio).

1:mo. SP. AMERICANÆ

Crista occipitis acuta, rubra; collo utrinque albolineato; remigibus intus tectricibusque inferioribus totis albis, immaculatis. Similes americanis præcedentibus, a quibus tamen differunt digito 4to breviore, rostroque paullo breviore, longitudinem capitis vix excedente, quare furca menti sub media sutura desinit.

*) Ventre pallido, nigrofasciato (Ceophloeus Mus. Hein. 85).

14. PICUS *lineatus* L. XII (Briss. IV, 31); — Lth. 5 (Pl. Enl. 717); — Wagl. Syst. sp. 8; — Malh. I, 39, t. 12; — Mus. Hein. 86; — niger ventre fulvescenti-albido, crebre, irregulariter nigrofasciato. Rostrum fuscum. Linea colli, a naribus incepta, ante oculos fulvescens, in genis angusta, per scapulares continuata, ibique latior. Remiges intus albæ, parum flavido tinctæ. Gula albida, nigrostriolata; jugulum nigrum. Capitis latera, pone oculos, nigrocinerea. Dorsum totum nigrum. *Mas*

pileo toto vittaque malari rubris; *femina*, pileo cum crista rubro; fronte et regione malari nigris. Ala 190—200 mm. — *Brasilia, Guyana,* (Paraguay?).

Var. occidentalis: *Ceophl. mesorhynchus* Mus. Hein. 86; — paullo minor: ala 175 mm (mus. Stockh.; 185 mm, mus. Hein.); ala subtus paullo magis, quam in P. lineato, flavotincta. De cetero differentias nullas invenio; color rostri idem. *Caracas* (M. Stockh.); *Costarica* (Mus. Berol.). — Obs. Hæc forma a Cabanisio, Journal 1862, 176, ut varietas sequentis, inter eum et P. lineatum intermedia, exponitur.

14 *b*. PICUS *scapularis* Vig. 1829; — Malh. I, 44 t. 10; — Mus. Hein. l. c. — Simillimus P. lineato, sed minor: ala 170—180 m.m. (Malh.; 6 p. 7 lin. = 173 mm., Mus. Hein.), rostro albo. — *Mexico* (Mus. Berol.).

15. PICUS *fuscipennis* Sclater Z. Proc. 1860 (Dryoc:); — Malh. I, 165 et 186, t. 61; — Mus. Hein. 87; — a P. lineato differt colore fuscescente, pro nigro, præsertim alarum caudæque, ventreque transversim fuscomaculato (nec fasciato). Etiam minor: ala 166 mm (Scl. et Mus. Hein.; 130 m.m. Malh., forte lapsu?). — Scapulæ albæ et reliqua pictura sexusque differentia, ut i P. lineato. *Ecuador*. (Non vidi).

16. PICUS *melanotis* Natt. in Mus. Vindob (Malh.); — *P. erythrops* Cuv., Valenc. Dict. 1826; — Malh. I, 42, t. 12; — Mus. Hein. 88; — vitta scapulari nulla alba. Capitis latera, pone oculos, obscure cinerea, paullo nigriora quam in P. lineato. Ceterum huic similis. Ala 190 mm. — *Brasilia* (Mus. Stockh. ♀; M. Berol. et Hein. An etiam "Mexico", Malh?).

Obs. Nomen *erythrops*, hunc Picum male designans, propter confusionem c. nomine alius speciei evitandum (P. erythrops, — opis, — opes, infra n:o 33).

17. PICUS *galeatus* Natt. Temm. Pl. Col. 171; — Malh. I, 38, t. 11; — Mus. Hein. 89; — subsimilis P. lineato; differt tergo albo, scapulis non albis, linea colli alba, per latera capitis, lineâ cinereâ, fuscovariâ, usque ad nares continuata, remigibusque intus rufescentibus. *Mas* pileo toto, cum crista nuchaque, vittaque malari longa, rubris. *Femina* pileo antice fulvogriseo, fuscostriolato, sed crista rubra; vitta malari a pictura capitis laterali vix distincta. — Alæ cum dorso anteriore et guttur inferius nigra. Gula fulvogrisea. Venter fulvo-albidus, nigrofasciatus. Ala 165 mm — *Brasilia interior* (Malh.; mihi ignotus).

**) Ventre nigro (nec aliter diversus. — Phloeotomus Mus. Hein. 102).

18. PICUS *pileatus* L. X (Catesb. 17); — Lath. sp. 4 (Pl. Enl. 718); — Malh. I, 34, t. 11; — Mus. Hein. l. c.; — niger ventre concolore; linea colli alba a naribus ad latera pectoris ducta. Crista rubra. *Mas* pileo toto vittaque malari rubris; *femina* fronte, late, vittaque malari nigris; pileo medio cum crista rubris. — Vitta pone oculos lata, nigricans, superne albomarginata. Gula alba, medio leviter fuscostriolata (sed vix in mare seniore). Plumæ ventris, præsertim laterales, margine albido, angusto fimbriatæ. Scapulæ non albæ. Præcedentibus major: ala 230—250 mm, rostro, a fronte, 50; æqualis P. martio. — Habitat in *America septemtrionáli,* fere inter 25°—45° lat:s, a mari atlantico

ad pacificum (ex insula Quadra M. Sthm.). Picum martium in America repræsentare videtur. Specimina meridionalia paullo minora.

2:do. Sp. Veteris Orbis.

Crista nulla; collo non lineato; remigibus totis nigris. Rostrum capite paullo longius, validum et ut in præcedentibus formatum.

*) Ventre albo.

Rostri pedumque forma et proportio ut in Americanis. Thriponax M. Hein. 105.

19. PICUS *leucogaster* Reinw. Temm. Pl. col. 501. — Malh. I, 47 tab. 13. — *P. javensis* Horsf. L. Tr. XIII, (sed obs. P. jav. Ljungh); — *Thr. jav.* M. Hein. l. c. — Niger ventre albo. *Mas* pileo toto vittaque malari parva rubris; *femina* occipite tantum rubro; vitta malari nigra. — Ala circa 240 mm. Crissum nigrum. Latera capitis et gula albido-striolata. — *Java* (Mus. Brit. Berol.).

20. PICUS *hodgsoni* Jerd. Malh. I, 49, t. 13. — M. Hein. l. c. — Niger ventre tergoque albis. Crissum nigrum. Diff. *sexus* ut in priori. Latera capitis et gula vix albovaria. Ala ♂ 220; ♀ 230 m.m. Rostrum paullo validius quam præcedentis. — *Malabaria.* (Mus. Brit.).

20 *b*. *Thr. jerdoni* Mus. Hein. l. c. (ex obs. sub P. hodgsoni, Jerd. Ind. I, 285), "similis P. hodgsoni; differt vero alis subtus latius albis". — *Pegu* (mihi ignotus).

**) Ventre nigro.

21. PICUS *hodgei*. *Mulleripicus hodgei* Blyth; Jerd. Ind. 285; — *Thriponax hodgei* Mus. Hein. l. c. — Totus niger, præter picturam capitis rubram, ut in 2 præcedentibus, in *mare* et *femina* diversam. Reliquis minor: ala (7", M. Hein.) circiter 180 mm. — *Ins. Andamanæ.* Avem non vidi, quare de affinitate ejus judicare nequeo).

22. PICUS *martius* L. — Malh. I, 31, t. 10. — *Dryocopus martius* Mus. Hein. 103. — Supra subtusque niger. *Mas* pileo toto, *femina* occipite solo, rubro. Vitta malaris non distincta, nec ulla pictura distincta, præter capitis, adest. Rostrum albidum, superne apiceque cæruleo infuscatum. Ala circa 240 mm. — Habitat in *Europa* tota et in tota *Asia septemtrionali* (Pallas), frequens in monte *Stanovoi* (Middend.), ad ostia fluminis *Amur* (Schrenck), in *Japonia* (Fn. Jap.). — Formâ paullum a precedentibus differt. Pedes præsertim, pro mole corporis, parvi et tenues; sed ungues non minores quam præcedentium. Hinc unguis internus (2:us) digito suo longitudine æqualis; hallucis longior quam ipse digitus. Rostrum longius, furca menti breviore quam sutura dimidia, carinis nasalibus culmini paullulo proprioribus, quam in reliquis.

---

## TRIBUS 2. *Pici squamicipites.*

Rostrum capite longius, validum, apice valde cuneatum; carinis nasalibus prope culmen sitis, parum elevatis, antice evanescentibus. Caput et collum plumis perparvis, angustius oblongis, subrigidis et adpressis den-

sissime tecta. — Species magnæ vel maximæ, nigrocinerascentes, alis caudaque longis, ut in præcedentibus formatis. Pedes magni, digito 4:to breviore quam 3:tio. Rostri culmen leviter arcuatum; maxilla inferior basi crassior; furca menti longius ante mediam suturam extensa. Setæ nasales parvæ. Plumæ parvæ capitis collique summo apice pallidæ, unde hæ partes punctatæ, quasi pulvere inspersæ, apparent; sed macula auris fusca, immaculata. Remiges et rectrices totæ nigræ. — (Mulleripicus, Lichtensteinipicus et Hemilophus Bonap. — Alophonerpes R:bch; Mus. Hein. 106). — *Malayasiatici.*

23. PICUS *pulverulentus* Temm. Pl. Col. 389 (Livr. 65, 1825). — P. *gutturalis* Valenc. (1826); — Malh. I, 51, t. 15; — *Al. gutt.* Mus. Hein. l. c. — Cinereo-niger gula fulva, plumis capitis collique puncto apicis pallido. Macula malaris in *mare* rubra, in femina nulla. Ala, ♂ 230, ♀ 220 mm, c. 175; r. a fr. 55. (Mus. Stockh.). *Arracan, Malacca* (Blyth), *Sumatra.*

24. PICUS *fulvus* Qu. & Gaim. Astrol. — Malh. p. 53 t. 14; — Mus. Hein. l. c. — Nigrofuscus gastræo toto fulvescente; capite colloque pallidipunctatis. *Mas* a femina differt facie, pone oculos usque, rubra. Ala 180 m.m. — *Celebes* (Mus. Brit.).

25. PICUS *funebris* Valenc. Dict. 1826; — Malh. p. 54, t. 15. — Mus. Hein. l. c. — Nigricans gastræo paullo dilutiore, fusco; capite colloque albopunctatis. *Mas* facie obscure rubra. Ala 160 m.m. — *Insulæ Philippinæ* (Mus. Brit.).

---

## TRIBUS 3. *Pici parvicaudati*

Pici parvi vel minimi; cauda brevi (longit. $\frac{1}{3}$ alæ parum excedente), parum vel vix gradata, pennis apice rotundatis, scapis vero crassis, firmis, apice elasticis. — Digiti, pro mole corporis, inter Picos maximi: extensio eorum (cum unguibus) longitudinem alæ dimidiam fere æquat; 4:tus tertio multo longior. Rostrum conico-acutum, a medio, compresso, attenuatum, apice vero acute cuneato. Carinæ nasales validæ, latissime distantes. Furca menti sub media sutura desinit. Caput pro Picis magnum, large cristatum, collo tenui. — Sexus picturâ vel colore capitis paullum dissimiles, sed vitta malaris in sp. cognitis neque differt, nec distincta apparet. Sp. *Asiæ meridionalis.* — (Hemicercus Swains. Strickland; Mus. Hein. 175. — Micropicus! Malh.),

26. PICUS *sordidus* (Eyton 1845); — Mus. Hein. (Hemic.) 177. — P. *hartlaubii* Malh. I, 189, t. 41. — Fuscus dorso alisque nigris, plumis fulvo-albido limbatis; uropygio fulvo-albido. *Mas* pileo toto, cum plumis nasi cristaque, fulvescenti-rubro. *Femina* capite toto, cum crista, colore fusco, pectori concolore. — Rostrum nigrofuscum. Caput, collum, pectus ad pedes usque et tergum obscure cinereofusca, in mare adulto obscuriora. Vitta cervicis longit. fulvoalbida. Abdomen plumis late albidolimbatis. In lateribus colli, infra genas, adsunt vestigia obsoleta lineæ albidæ. Rectrices nigræ; mediæ in ♀ macula transversa,

alba, in medio margine interno notatæ. Ala circa 85 mm; Cauda 30; Dig. med. c. ungue 22; digiti extensi 48. — ♂ *junior* (Singapore, m. Sthm.) colore corporis feminæ similis. Pileus, a naribus ad occiput, nitidius ruber; sed crista tota, colore genarum fusca. — *Sumatra, Malacca.* (Observandum tamen specimina maris veteris adesse, quæ ex Java orta dicuntur: alterum in Mus. Stockh., Parisiis, 1833 emtum: alterum in Leydensi).

26 *b.* *P. concretus* Temm. Pl. Col. 90. — Malh. I, 187, t. 41. — M. Hein. 178. — Simillimus præcedenti, a quo vix differt nisi pileo *maris* antico, usque ad verticem medium, fusco flavescente. Cervix quoque eodem colore latius tingi videtur. Crista paullo dilutius rubra apparet. *Feminas* vero utriusque distinguere non potui. — Tantummodo in *Java* et *Borneo* inventus. An re vera patria et colore a præcedente differat, ulterius inqvirendum.

27. PICUS *canente* Less. Voy. Belang. III, 240; — Malh. I, 190, t. 42; — Jerd. Ind. I, 280 (Hemic.); — Mus. Hein. l. c. — nigrofuscus gula vittaque ab angulo oris ad alas ducta fulvo-albidis; fronte cum vertice medio, *Maris* fulvoalbida, *Feminæ* nigra, albidopunctata. — Caput cum crista, cervix et dorsum medium nigra; interscapulium et uropygium albida. Jugulum et pectus cinerascentia (in habitu recenti paullum fulvo virenti-tincta). Ala nigra tectricibus parvis albidis; mediis albidis, apice lato nigro, tenuissime albidomarginato; postremis albidis, fasciis 1 v. 2 latis, nigris. Remiges nigræ, intus albidæ. Ala circiter 90 m.m. — Habitat in utraque peninsula *Indiæ.*

*a*) Orientalis, ex Arracan et Tenasserim peninsulæ orientalis; paullo major: Ala 94 m.m. (3 p. 7 lin.) Mus. Hein. 176.

*b*) Occidentalis, ex Malabar; *Picus cordatus* Jerd. Madr. Journ. 1840; — *Hemic. cordatus* Gray; — Mus. Hein. 174; — semper paullo minor dicitur: ala (3 p. 5 lin. =) 89½ mm. Mus. Hein. — Nullam aliam differentiam, nisi magnitudinis, exiguam, inter has duas formas invenerunt auctores; nec ipse in speciminibus, quæ in Musæis: Bremensi, Lugdunensi, Britannico et Berolinensi adsunt, observavi. Differentiam vero multo majorem in magnitudine, vel longitudine totali invenisse crediderunt, (hujus, 157 m.m.; illius, 189; sc. 6 poll., et 7 p. 3 lin., Mus. Hein.), quæ tamen nihil docet. Longitudo enim totalis, inter omnes mensuras avium, maxime fallax, in avi integra, collo magis minusve extenso, in cute avis præparata vel farcta, secundum extensionem cutis vel varium modum ejus præparandi vel farciendi, multum differt.

---

## TRIBUS 4. *Pici auricipites.*

Fuscovirentes, luteomicantes, subtus maculis fasciisve crebris, flavoalbidis picti; capite flavo et rubidotincto. — Species minores, non cristatæ, rostro forti, brevi, conico, recto; medio vix vel non compresso; apice acute cuneato. Carinæ nasales plerumque validæ, sed culmini propriores. Remiges intus *rufopictæ.* Rectrices fuscovirentes, immaculatæ,

sed apice nigriores; acutæ et gradatæ. Scapi pennarum supra subtusque fuscescentes (nec flavescentes). Digitus 4:us, tertio brevior.

Sp. *Americæ* merid. tropicæ, pictura et statura sat similes Picis passerinis; a quibus tamen formâ rostri, et plumis colli brevioribus differunt. — Chloropicus! pars, Malh.; — Chrysopicus! Bonap; — Craugasus Mus. Hein. IV, 157.

*a*) Remiges intus rufomaculatæ.

28. PICUS *aurulentus* Ill. Licht. Verz. 1823. — Temm. Pl. Col. 59; — Malh. II, 137, t. 84. — *P. auratus* Vieill. N. D.; Enc. 1305 (nec Linn.); — Mus. Hein. 158. — Fuscovirens, subtus virentifuscus fasciis crebris, flavescentibus; gula flava. Linea flava ab oculo ad latera cervicis, aliaque a naribus ducta, vittam postocularem, latam, fuscam, cingunt. Vitta malaris utriusque sexus rubra. Fasciæ remigum fere 8, angustæ, rufæ, extus intusque apparent; sed in pennis cubiti marginem externum non attingunt. Pileus *maris* ruber; *feminæ* virescens, occipite solo rubro. — Ala circa 128 m.m. cauda 75. — *Brasilia* (M. Stockh.).

29. PICUS *callopterus*; — Chloronerpes call. Lawrence Ann. Lyc. N. York VII, 476. — Mus. Hein. 159. — Remiges rufæ, maculis fasciisve paucis, nigricantibus; primariæ apice fuscæ. Supra virens, uropygio fusciore. Venter flavo et nigricantifasciatus, postice pallide rufus; antice (jugulo?) virens, maculis triangularibus flavis. Gula fulva, fuscomaculata. Linea a rostro, sub oculis, flava. Rectrices fuscescentes margine virentes; laterales, utrinque 2, juxta scapum medium rufæ. Specimen cognitum, *Mas* dictum, fascia occipitis rubra, pileo virentifusco. Ala 106 mm. — *Panama*. (Lawr.).

*b*) Remiges intus rufæ, non maculatæ.

30. PICUS *chrysochlorus* Vieill. N. D. — Enc. 1320; — Malh. II, 141, t. 84 (et P. brasiliensis, Steph., Malh. t. 85). — Mus. Hein. 159. — Fuscovirens, subtus crebre flavo fuscoque fasciatus; lateribus capitis, ante et pone oculos, virentifuscis, linea infra oculos (ab ang. oris ad latera colli) gulaque flavis, interjecta vitta malari. Pileus et vitta malaris in *Mare* rubri, in *Femina* toti viridifusci. — Minor: ala 120—125 m.m.; cauda 80. — *Brasilia* (Malh.).

31. PICUS *polyzonus* Valenc. — Malh. 136, tab. 83. — Mus. H. — Simillimus præcedenti, sed. major: ala 150 m.m.; neque alia differentia describitur. Ne similitudinem quidem horum Picorum apud auctores memoratam inveni; eos vero in museis comparare ipse neglexi. P. polyzonum ♀ Berolini vidi. — *Brasilia*.

(Obs. In iconibus Malherbei citatis, vitta malaris in mare sp. præcedentis postice fuscovirens, in mare P. polyzoni tota rubra exhibetur).

32. PICUS *capistratus* Natt. — Malh. II, 140, tab. 83; — Mus. Hein. — *P. polyzonus* Temm. Wagl. — Picturâ et omni re similis 2 præcedentibus præter gulam, totam fasciatum (ut venter). Ala: ♂, 138 mm. (M. Hein.); ♀ 130 (Mus. Berol.). Fasciæ gastræi paullo angustiores et nigriores quam in P. polyzono. *Brasilia septemtr.*

33. PICUS *erythropes* Vieill. N. Dict.; et Enc. 1320 ("erythropis"); — P. erythrops Wagl. sp. 53; — erythropsis Malh. II, 143, t. 87. — Mus.

Hein. p. 158 (nomine correcto). — Supra fuscovirens, immaculatus; subtus flavoalbidus, fasciis nigris, crebris, angustis, paullum flexuosis. Caput lateribus nitide luteum, immaculatum. *Mas* pileo gulaque cum regione malari rubris; *femina* pileo luteo, postice rubro; gula lutea; regione malari concolori, leviter rubro tincta. — Ala, ♂ 110, ♀ 107 mm. — *Brasilia* (M. Sthm.).

34. PICUS *flavigula* Bodd. (Pl. Enl. 784); Mus. Hein. (Craugasus) l. c. — *P. chlorocephalus* Gm. — Malh. 144, t. 86; — *P. icterocephalus* Lath. — Fuscovirens, gastræo fusciore, creberrime albido maculato: maculis majusculis; anticis rotundatis, reliquis transversis. Caput cum gula flavissimum, lateribus, pone oculos, immaculatum. *Mas* pileo rubro, et vetus, stria malari rubra; *femina* occipite solo rubro. — Ala 112 m.m. — *Guyana; Brasilia septemtr.* (M. Sthm.).

35. PICUS *leucolæmus* Malh. II, 185, tab. 85. — Mus. Hein. l. c. — Fuscovirens, lateribus capitis flavis, circa oculos infuscatis; gula alba. Gastræum reliquum: antice fuscum, guttis albidis, oblongis, definitis; dein flavo fuscoque fasciatum. *Mas,* pileo vittaque malari rubris; *femina* pileo postice tantum rubro; antice et vitta malari viridifuscis. — Ala 124 m.m. — *Bolivia; Brasilia interior* (Malh.).

---

## *Series 2.* Pici securirostres.

*Rostrum validum, apice valde cuneato, carinis nasalibus latissime distantibus. Collum, plumis non parvis tectum, minus angustum apparet. Nares plumis setosis tectæ.* — Rostrum plerumque capite brevius, culmine recto, acute carinato, minus elevato, ad latera plano. Carinæ supra nares sitæ sat altæ, in basi rostri longius a carina media, quam a tomiis distantes, et circa mediam suturam tomia attingentes. Furca menti parum ante nares et parum ante ⅓ suturæ exit. — Digitus 4:us ceteris plerumque longior (præter sp. quasdam Tribuum 6 et 10—12). Pedum cutis et alarum tectrices oscininæ.

### TRIBUS 5. *Pici nigrovarii*

supra nigri, paullum albovarii; subtus albidi linea (malari) nigra ab angulo oris ad latera colli ducta. Rostrum fortissimum, non compressum, maxilla superiore apice, utrinque, bicarinata.

Species minores; vel fere mediæ magnit:s (P. leuconotus omnium fere maximus). Crista nulla. Pileus *maris* ruber vel rubropictus; *feminæ* plerumque niger. Regio malaris in ♂♀ non differt. Remiges nigræ, maculis marginalibus pure albis, utrinque 4, sed in primariis maximis (3:tia et paucis seqq.) fere 6 (basalis sæpe obsoleta. In P. tridactylo 8, accedunt enim maculæ apicis). Cauda gradata, acuta, nigra; plerumque pennis mediis immaculatis; lateralibus, utrinque 2 vel 3, extus oblique albis, nigrofasciatis. Rostri carinæ altæ, evidentes; inferior quoque acuta.

Apex max. sup:s, lateribus, ad $\frac{1}{3}$ rostri, carinis 2 longitudinalibus, parallelis, intervallo concavo separatis, instructus. Carina superior est continuatio carinæ nasalis. Digitus 4:us tertio multo longior. — Incolæ præsertim *zonæ temperatæ* (et subfrigidæ) *septemtrionalis*, utriusque orbis (nulla vero in africa propria). - In zona torrida septemtrionali (India, Mexico) paucæ species minores, fuscæ, vel picturâ paullum aberrantes, inveniuntur. — Dryobates Boie; Picus propr. Malh.; 12 genera, Mus. Hein.

Sectio 1. **Species tridactylæ** (halluce nullo).

Species præsertim septemtrionales *veteris noviqve orbis*, rostro latiore, paullum depresso, carinis nasalibus a culmine longius, quam in reliquis Picis, distantibus. Pictura capitis ventrisque rubra nulla, sed plumæ pilei duriusculæ, subrigidæ, apice, plerumque, in vertice *maris* flavæ, *feminæ* albæ. Juniores quoque vertice flavo ornati. Latera capitis nigra: vitta postoculari nigra latissima, inter lineas 2 albas, superiorem angustam, interdum obsoletam, inferiorem longam. — Apternus Swains.; — Picoides Lac.; Malh.; — Tridactylia Steph.; Mus. Hein. IV, 25.

*) Sp. veteris orbis: rectricibus 6 mediis totis nigris.

36. PICUS *tridactylus* L. — *Picoides europæus* Less.; — Malh. I, 170, t. 38. — *Trid. hirsuta* Steph.; Mus. Hein. l. c. — Latera corporis maculis crebris nigris, antice longitudinalibus, posterius transversis, variegata. — Crissum quoque paullo nigromaculatum. Lineæ 2 albæ in lateribus capitis, distinctæ, angustæ; superior in dorsum exiens. Dorsum totum, cum cervice tergoque, album, nigro-varium (plumis extus basique nigris). Rectrices laterales, utrinque 2, extus late, oblique albis, fasciis fere 4 sub-integris, nigris. Ala circa 124 mm. — Plaga verticis *maris* flava, *feminæ* alba, nigromixta. Maculæ nigræ in corpore *Junioris* majores, fere confluentes. — Habitat in *Europa* septemtrionali et in alpinis Europæ mediæ.

37. PICUS *crissoleucus* Brandt, Malh. I, 180, t. 40; — *P. camtschatcensis* (Bonap), — Mus. Hein. p. 25 (sed obs. P. kamtsch. n:o 72). — Simillimus præcedenti, a quo differt lateribus corporis crissoque fere immaculatis. Dorsum album vix nigromixtum. Plaga pilei (♂ flava, ♀ albida) major, a rostro ad occiput extensa. Rectricum lateralium fasciæ nigræ interruptæ; vix nisi 3: apicis evanescens. Ala ♂ 125; ♀ 121, M. Sthm. ex *Archangel;* 131 m.m., Mus. Hein., *Sibiria.* Usque ad mare japonicum (ad Ostia flum:s Amur, Schrenck) invenitur; incertum vero an etiam in Kamtschatka. — Proprie habendus est *P. tridactylus* var. orientalis.

Obs. Nomen *crissoleucus* minus sane correctum, sed h. l. vix ad exemplum Mus. Hein. rejiciendum. Vocabulum enim "crissum", etsi dubiæ formæ, tamen usui acceptum et originis græcæ (*κϱιςςος*). Optime sane in nomen pure græcum mutaretur, qs. P. leucopygus.

**) Sp. americanæ; rectricibus mediis tantum 4, vel 2, totis nigris.

38. PICUS *dorsalis* Baird, Report 1858, 100 (Picoides); — Malh. I, 179. — Mus. Hein. 26. — Dorso albo plumis mediis basi tantum

nigris. Uropygium quoque longitudinaliter albomaculatum. Ceterum similis P. americano videtur. Plumæ vero crissi totæ albæ. Ala (5 poll. Angl.) 127 mm. — Unicum specimen cognitum, ♂, in montibus *Rocky mountains* inventum. (Baird).

39. PICUS *americanus*. Picoides amer. Brehm V. Deutschl. 1831; — Malh. p. 176, t. 39; — Apt. amer. Swains. Classif. 1837. — *P. hirsutus* Wagl. Syst. n:o 102 (ex. Vieill.). — *Trid. undulata* Steph. in Shaw. Gen. Z. IX (ex Vieill.); — Mus. Hein. 28 *). — Dorsum cum tergo nigrum, maculis parvis, transversis, albis varium. Latera corporis tota crebre nigrofasciata. — In habitu recenti hiemali, præsertim junioris, sat similis sp. europeæ, plumis quoque cervicis albofimbriatis. Plumæ dorsi mediæ fasciis 2 abbreviatis limboque albis. Hæ fasciæ in senioribus angustæ, in junioribus latæ, maculiformes; sæpe contiguæ, interjectis fasciis interruptis nigris. Seniores, habitu vernali, nigriores, dorso antico vix maculato, cervice toto nigro; linea capitis laterali inferiore tenui, abbreviata; superiore obsoleta, non nisi striola tenuissima, pone oculum relicta. Rectrices laterales, utrinque 2, albæ, tantum pogonio interno basim versus nigro, subfasciato. Rectrix 3:tia nigra, apice oblique albida. In *juniore* etiam 4:ta margine apicis, et 5:ta (media) maculis paucis marginalibus, albis. Cauda, in seniore et juniore, a resina arborum, apice rufescens. Pileus niger, in *mare*, plaga verticis flava, in seniore, minore, intensius colorata; in *femina* totus albomaculatus, vel, habitu æstivali, punctata. Ala ♂ 117, ♀ 113 mm. (Mus. Sthm.; 115 M. Hein. — Habitat in *America septemtrionali*, fere a $40^0$ vel $43^0$, boream versus.

40. PICUS *arcticus* Sw. — Malh. p. 175, t. 39. — Mus. Hein. l. c. — Pileus feminæ et dorsum nigra, immaculata. In reliquis, utroque sexu, simillimus præcedenti, veteri, cum quo eandem regionem inhabitat. Ala ♂♀ 126 m.m. (M. Sthm.; 130 Malh., M. Hein.).

Obs. Pici species tres, h. l. descriptæ, vix differunt nisi maculis albis dorsi in sp. prima majoribus, in ultima nullis. Si vero status sp. mediæ, pro ætate annique tempore varios, inspexeris, differentias exiguas invenies. Junior P. arctici mihi ignotus, nec descriptum inveni.

---

*) Nomen specificum: "*americanus*", inter nomina huic Pico data, solum adhibendum; reliqua enim ambigua vel adulterata. — Nomen *P. hirsutus* (Vieill. Am. Sept.; N. Dict., et Enc. 1324) huic quidem (sp. americanæ) adsignatum; sed specimen europæum descriptum. Nomen igitur a *Stephensio* (G. Zool.) pro sp. europæa, a *Waglero* pro americana adhibitum. — Alterum nomen: "*Undulatus*" Vieill. ll. citt. Enc. 1319, ineptum, cum in descr. Vieillotii expressis verbis dicitur, digitos "non 3, sed 4", pileumque rubrum esse. Hæc descriptio non ex avi, sed ex icone, Pl. Enl. 553, desumta est. Quæ vero icon P. americanum nostrum exhibere videtur, pileo vero alieno, rubro, adsuto; vel forte ex descr. Brissonii, IV, 54 n:o 2, colorata, pedibusque alienis, 4dactylis, donata. — Ex eadem icone, nomineque Vieillotiano, lapsu calami mutato, habemus nomina P. *undosus* Cuv. et P. *undatus* Temm. — Nomen Apt. *cayanensis* R.bch. oritur a nomine: "P. varius cayanensis" Briss. l. cit. Specimina enim in Mus. Realmuriano, a Brissonio descripta, ex Cayana (lapsu, pro Canada) missa credebantur.

## Sectio 2. **Species tetradactylæ americanæ**

digitis 4; ventre albido, nulla parte rubro; pileo nigro, vel rubro-picto (nec pallescente postice nigrocincto).

1:o. *Vitta postocularis lata nigra*

*a*) Gastræo fere immaculato, albo vel albido.

Notæum, inter scapulas alasque nigras, longitudinaliter album. Rectrices mediæ tota nigræ, laterales albæ. Color notæi pure niger (nec fuscus) maculis albis. — Hi Pici picturâ similes sunt sp. tridactylis, præter pileum *Maris* senioris, occipite rubro; junioris, vertice plus minusve rubro. Plumæ istæ rubræ, basi nigricantes, apice longo, rubro, puncto intermedio albo ornatæ. Hab. in *America septemtr.* — (Dryobates Boie; Mus. Hein. 62).

41. PICUS *villosus* L. (Catesby 19 et Kalm. Itin.); — Malh. I, 75, t. 21; — Mus. Hein. — Niger dorso longitudinaliter albo, tectricibus pennisque alarum albomaculatis; rectricibus lateralibus albis, immaculatis, extima tota alba; 2:da basi nigra; 3:tia extus, oblique dimidiato-alba; reliquæ (4 mediæ) totæ nigræ. — Ala 120—130 mm. Pileus niger, in *Mare* seniore fascia occipitis, medio breviter interrupta, rubra. Remiges maximæ (3—6) extus maculis 7 albis: prima a tectricibus occultata, ultima ad apicem pennæ sita. Maculæ remigum circa 5 mm latæ; tectricum paullo majores. Uropygium nigrum, immaculatum. Gastræum album, (sed plerumque sorde corticis arborum inquinatum); lateribus haud nigromaculatum.

*Juvenis*, ala nondum completa, ideoque sat brevi: rostro tumido, convexo, apice parum cuneato; pileo nigro, ♂♀ plagâ verticis magna, rubra (*P. martinæ* Audub.; Malh. p. 82, t. 22), vel plumis sparsis rubris, vel etiam luteis (*P. phillipsii* Aud.; Malh. 84, t. 21: Var. major; — *P. auduboni* Trudeau; Audub.; Malh. 87, t. 22: Var. minor). — Habitat in *America septemtrionali* fere inter 30⁰ et 50⁰ lat:s (vel forte latius boream versus dispersus?).

Hæc sp., ut plures aliæ, variat: in regione frigidiore, septemtrionali, major et, præsertim in habitu hiemali magis alba; in tepidiore, meridionali et occidentali, minor et obscurior (Malh. ll. citt.; Baird, Report, Washington 1858, p, 84). Hinc:

*Var.* major, septemtrionalis; ala circa 130 mm; culmen rostri 30 mm. (M. Sthm.; 28, M. Hein.); pictura vero nulla re a var. media differre videtur. Plumæ dorsi, ut in illa, majore parte albæ, basi extusque nigræ etc.; *P. canadensis* Gm.; — Lath. 17; — Malh. I, 78, t. 21. — *P. leucomelas* Bodd. (Pl. enl. 345, 1); — Mus. Hein. 67.

*Var.* media; ala ♂ 125, ♀ 123 mm, rostri culmen, ♂ 30; Visconsin, M. Sthm. Alii, ex Pensylvania?, paullo minores. In hac, ut in var. majore, rectrix mediæ proxima (ab extima, 4:ta), sæpe, juxta apicem, plus minusve albonotata (♂♀ ex Visconsin, M. Sthm.).

*Var.* minor: meridionalis et occidentalis, ala 120 mm. vel paullo minor (sed "4 p. 3 lin." = 111 mm, Mus. Hein. 66, Nota: veris. lapsu calami, vel specimen juvenile?). Maculæ alarum paullulo minores quam præcedentis, sed multo majores quam seqventis; gastræum plerumque sordidius; plumæ dorsi quædam latius et sinuatim nigræ. Culmen

rostri ♂ 27 mm. *California* M. Sthm. — *P. auduboni* Sw. (etiam *P. aud.* Trud.; v. supra); — *P. cuvieri* Malh. 85, t. 22, ♀, ala 115 mm. — Huc etiam referendus videtur *P. hyloscopus* Mus. Hein. 69, Nota; specimen ventre inquinato.

42. PICUS *harrisii* Audub.; Malh. I, 73, tab. 20; — Mus. Hein. 68. — Simillimus P. villoso, differt vero pictura alba minore minusq. pura. Remiges maximæ (4—6) maculis externis parvis (non ultra 3 mm latis), tantum 5 v. 6: basalis occultata; nulla ad apicem sita. Tectrices tantum 3—5 seriei mediæ striolà alba, in medio apicis pictæ; tectr. majores minoresque omnes et pennæ cubiti 2 v. 3 postremæ immaculatæ. Gastræum totum albido griseum, plerumque inqvinatum. Rectrices ut præcedentis; sed penna a latere 3:a apice multo brevius albida; 4:ta semper tota nigra. Magnitudo variat: ala 123 mm. Malh.; 126, Baird; 129 M. Sthm. Rostri proportio ut in precedenti et eodem modo variabilis. Diff. sexus et ætatis ut præcedentis. — America Septemtr., ad occidentem: *California; Ins. quadra* (Mus. Stockh.).

43. PICUS *jardinei* Malh. I, 103, t. 25. — Mus. Hein. 69. — Supra niger, alis antice immaculatis; plumis dorsi, inter scapulas, apice albis; gastræo toto sordide albidogriseo. Parvus: Ala. ♂ 117, ♀ 112 mm (junioris? circa 100). Mus Berol. — Differentia sexus et ætatis ut in P. villoso. (Mas junior, in Mus. Berol., plaga verticis maxima, splendide rubra, albomixta). Simillimus Pico harrisii, vix ab eo distinctus; idem habetur a Cabanisio, Journ. 1862, 175. Remiges et rectrices ut in eo pictæ. Striolæ paucæ nigræ ante latera pectoris observantur, quales etiam in P. harrisii adsunt. — *Mexico.*

44. PICUS *pubescens* L. — Malh. I, 119, t. 29; — Mus. Hein. 62. — Rectrices laterales utrinque 2 albæ, nigrofasciatæ; 3:tia fere dimidiato alba; 4:ta ad apicem albidomarginata; media tota nigra. Parvus: ala circa 92 mm. (♂ 96; 95; ♀ 93; 88, M. Sthm.). Picturà, præter caudam, similis P. villoso. Dorsum eodem modo album; alarum tectrices et remiges ut in illo albomaculatæ; gastræum album, sed, præsertim in meridionalibus grisescenti-inqvinatum. Striolæ nullæ ad latera pectoris. *Mas* senior fascià occipitis rubra, non interrupta; plumis, ut in præcedentibus, tricoloribus. Fasciæ rectricum angustæ, maxime variabiles, plerumque 2: apicalis integra, altera late interrupta. In ♀ juniore plerumque 3, latiores, sed prima tantum constat macula interna. — *America Septemtr.* sylvatica, tota.

Huc referendi sunt: *P. medianus* Sw.; Malh. p. 122; "remige 2:da longiore quam 7:a" et pileo albomaculato; — et *P. meridionalis* Sw.; Malh. p. 124; specimen gastræo inquinato. — *P. lecontei* Jones; Malh. 182 t. 40, habendus est P. pubescens cui amissus est hallux; unicum specimen, ♂, in Georgia inventum dicitur.

45. PICUS *gairdneri* Audubon; — Baird, Report 91; — Malh. p. 123 (icone nulla). — Simillimus P. pubescenti; differt pennis cubiti ultimis et tectricibus alæ, extus, non vel parum albonotatis; gastræo infuscato (inquinato?), ad latera striolis obsoletis fuscis notato. Rectrices laterales, utr. 2, fasciis duabus, nigris, integris. Ala 95—120 mm. —

*California, Oregon.* (Hæc avis, teste cl. Baird, a P. pubescenti eodem modo (patriâ et picturâ) differt, ac P. harrisii a P. villoso, et eodem jure sp. distincta habetur. Specimina meridionalia (californica) typica habentur; reliqua (ex Oregon) paullum differre dicuntur, suntque:

45 *b.* *P. homorus* Mus. Hein. 65 (Dryobates; — ex Baird, in descr. cit. præc:s, var. septemtrionalis ex *Oregon* et *Washington* Territ.): exacte medius dicitur inter P. gairdneri propr. (e California) et P. pubescentem. Subtus purius albus; maculæ albæ remigum et tectricum majores et plures quam in P. gairdneri, minores et pauciores quam in P. pubescente. Tamen non rite descriptus et, ut insufficienter cognitus, iterum examinandus. Hic, in Mus. Hein. multo major dicitur Pico gairdneri (ala hujus 92 mm, illius 109); quæ vero differentia in expositione Bairdii non certe elucet.

Pici species omnino incertæ, vix a P. pubescenti distinctæ, sed ulterius examinandæ, sunt:

45 *c.* *P. turatii* Malh. I, 123, t. 29. — Simillimus P. pubescenti, a quo vix distinctus videtur; sed paullo minor dicitur (ala 87 mm), maculis albis fere majoribus; vitta postoculari et v. malari paullulo brevioribus, neque cum nigredine cervicis confluentibus. — E *California.* Malh.

45 *d.* *P. leucurus* Princ. Paul de Würtemb., Hartlaub Naumannia 1852, 2 p. 55. — Malh. I, 122. — "Cauda tota alba", "affinis P. gairdneri Aud." nec ulterius descriptus. Ex montibus "*Rocky mount.*" dictis. [An cauda albinismo vel defectu alba?].

*b.* Gastræo sordide albido, nigromaculato.

Sp. parvæ, superne fuscæ vel nigræ, dorso medio scapulisque (præter sp. 47) albo fasciatis vel maculatis. (Incolæ Americæ calidioris, ibique analogæ sp. parvis, indicis, infra n:o 76—86). — Dictyopicus! Malh.; Dictyopipo Mus. Hein. 74.

*) Rectrices mediæ immaculatæ, nigræ vel fuscæ.

Sp. omnes ex *Mexico* terrisque adjacentibus; inter se simillimæ.

46. PICUS *scalaris* Wagler Isis 1829, p. 511 (ex Licht. in M. Berol.); — Malh. I, 116, t. 27; — dorso, c. tergo scapulisque, usque ad cervicem, crebre albo-fasciato. Subtus sordide albidus, maculis parvis rotundatis, crebre nigroguttatus, ventre medio immaculato; rectricibus lateralibus albis, fasciis pluribus, latis, nigris. — Parvus: ala ♂ 100 mm; ♀ 89. [ala 108 mm. Malh., an lapsu?]. Pileus *maris* totus ruber, puncto plumarum medio albo, ut in præcedentibus; — *feminæ*, totus niger. — Fasciæ dorsales albæ et nigræ æquales. Uropygium nigrum, immaculatum. Alæ nigræ, albomaculatæ, maculis tectricum rotundatis, diam. 3 mm; nulla ad apicem remigum 3—6. Remiges 3—6 subæquales; 2 = 8. Maculæ pectoris latit. 1 v. 2 millim.; hypochondriorum majores, transversæ, sed obsoletiores; crissi, cordatæ, pectoralibus parum majores. Vitta postocularis ett vitta malaris subæquales, postice non conjunctæ et a nigredine cervicis distinctæ. Rectricum extima alba, basi, intus nigra; dein fasciis 4 vel (in ♂) 5 nigris; quarum prima (vel etiam 1 et 2, basim propiores) in pogonio externo deest. Penna 2:da basi latius nigra; dein fasciis 3 v. 4 nigris, eodem modo imperfectis. Tertia nigra,

tantum pogonio *externo* plus minus late et sinuatim, vel maculatim, albolimbata (interdum tantum maculis 2 majoribus juxta apicem pennæ notata; interdum maculis 4 v. 5 cohærentibus, secundum marginem fere totum externum; sed pogonium internum totum nigrum). Pennæ 4 mediæ nigræ, immaculatæ. — *Mexico*, ad meridiem (Xalapa Mus. Berol; Vera-Cruz M. Sthm.).

Obs. *Picus scalaris* Baird, Report p. 94, ex Texas, ab avi mexicana differre videtur. Remiges enim 3 et 4 ceteris longiores, 2 et 5 parum breviores (i. e. 2—5 subæquales). Fasciæ rectricum lateralium in pogoniis externis plures, quam in nuper descr. (quod bis, pro singulis pennis describitur: "fasciæ albæ, in rectr. extima, 6 pogonii externi, 4 interni; in rectr. proxima, 6 externi, 3 interni; 3:tia extus maculis 5, intus, ad apicem, unica"). Vittæ capitis laterales ut in P. nuttallii describuntur; maculæ pectorales oblongæ. Magnitudo P. scalaris nostri (ala 94, 101 mm).

Etiam *P. scalaris*, Mus. Hein. pag. 75, differre videtur: rectrice tertia nigra, tantum intus, juxta apicem, maculis 2 albidis notata.

46 *b*. *P. bairdii* Sclater; Malh. I, 118, t. 27; — Mus. Hein. 76; — ex *Mexico septemtr.*, a P. scalari non diversus a Malherbio habetur; nec differre videtur, nisi pileo *maris* antice nigro, postice tantum, sed late, rubro [quod forte differentiam ætatis indicare posset?]. Altera nota, quæ in Mus. Hein., l. c ut Pico bairdii peculiaris habetur: "rectrix tertia nigra, tantum extus, ad apicem, albomaculata", egregie in P. scalarem convenit. — Avis igitur ulterius examinanda.

46 *c*. *Picus vagatus* Cassin Philad Proc. 1863, 196; — a P. scalari præsertim magnitudine minore differre videtur: ala 88 mm. — *Mas* similis P. bairdii dicitur. Pileus ut in præcedentibus. Vitta malaris et vitta pone oculos nigræ, regione intermedia et stria superciliari sordide albidis. Fasciæ dorsi albæ et nigræ subæquales; uropygium nigrum; alarum tectrices maculis rotundis albis. Subtus sordide albidus, maculis crebris, rotundatis et irregularibus, in lateribus transversis. Rectrices nigræ; laterales, utrinque 2, fasciis albis (non ulterius descriptis). — Hab. in *Mexico* (Cassin, l c.).

47. PICUS *nuttallii* Gambel; — Malh. I, 100, t. 24. — Superne nigrofuscus, albofasciatus: fasciis albis angustioribus quam interjectis, nigris, et in dorso antico, juxta cervicem, plumis paucis, pure nigris, occultatis. Subtus sordide albidus, ad latera pectoris maculis oblongis (longit. 4—5 mm), et pone has, in hypochondriis, fasciis nigris pictus. Rectrices laterales albæ, fasciis fere 3 nigris, angustioribus, pone mediam pennam sitis. — Rectrix extima tantum basi, intus, nigra, dein alba; fascia prima ad $\frac{3}{5}$ pennæ, in pogonio interno sita; in pog. externo macula parva vel nulla adest. Fascia secunda plus minusve interrupta; tertia prope apicem sita, integra. Penna 2:da intus, ultra medium, nigra; dein, ut extima, fasciata. Tertia nigra, apicem versus late, (in utroque pogonio) oblique alba, maculis, vel fasciis interruptis, fere 3, notata. Rectrices 4 mediæ nigræ, immaculatæ. — Præcedente major: ala, ♂ 106 mm (Malh.); ♀ 99 (M. Sthm.). Remiges 3—5 subæquales, $2 > 8$. Rostrum longius (culmen ♀ 22 mm). Pileus *maris* antice niger, punctis albis maculatus, postice late ruber; *feminæ* totus niger. Vitta postocularis latior, postice cum vitta malari conjuncta sed a nigredine

cervicis distincta. Ambæ pure nigræ et simul ad latera gutturis continuatæ. Alarum tectrices, fere omnes, maculâ apicis transversa, cordata, fasciaque obtecta, albis, ornatæ. Uropygium pure nigrum. Crissum fasciis maculisque transversis fuscis varium. — Habitat in *California*.

47 *b*. P. *lucasanus* Xanthus; — Malh. p. 166, absque icone; — ex *California meridionali* (Cap S:t Lucas); a præcedente differre dicitur: pogonio externo rectricum minus nigropicto; nam in penna extima et secunda, tantum fascia ultima, in 3:tia, nulla, per pogonium externum extenditur. Capitis latera ut in P. scalari picta. Magnitudine inter P. scalarem et P. nutallii medius dicitur, sed pedes fortiores quam eorum. Pileus totus plumulis rubris, sparsis, ornatus; quæ res indicat, specimen unicum cognitum avem esse juvenilem. An re vera a P. nuttallii distinctus?

48. PICUS *stricklandi* Malh. R. Zool. 1845; — et Monogr. I, 108, tab. 28. — Threnopipo *str.* Mus. Hein. p. 71. — Superne obscure fuscus alis antice dorsoque immaculatis. Subtus albidus, crebre fuscomaculatus: maculis juguli parvis, angustis; pectoris antici cordatis, ventris reliqui latius transversis. — Ala, ♂ 110 mm (Mus. Britann.; 115 Malh.). Pileus et uropygium pure, nitide nigra. *Mas* occipite rubro. Vitta malaris longa et vitta postocularis latissima, fuscæ, distinctæ. Remiges maculis albis, extus paucis parvisque, intus majoribus, notatæ. Rectrices nigrofuscæ; laterales, utrinque 2, late albæ, fuscofasciatæ; 3:tia extus maculis 1 vel 2, parvis, albidis notata; 4 mediæ immaculatæ. — *Junior:* mas, pileo fuscescente, plumis rubris maculato; — femina, dilutius fusca plumis dorsi medii albofasciatis (Malh.). — *Mexico*.

**) Rectrices omnes fasciatæ vel albomaculatæ.
Sp. Americæ *meridionalis*, inter se parum distinctæ.

49. PICUS *lignarius* Molina; — Lath.; — Malh. I, 109, t. 26; — Mus. Hein. 78 (Dictyopipo). — Supra niger, albofasciatus; subtus albidus, crebre, late nigrostriolatus; pileo *feminæ* pure nigro, antice paullum fuscescente; *maris* nigro, præsertim antice, alboguttato vel striolato, fascia occipitis rubra; *junioris* fere toto rubrovario. — Latera capitis alba, vitta postoculari lata, nigrofusca, longa; *malari* paullo angustiore, nigra, albovaria. Dorsum totum cum uropygio fasciatum; alæ albomaculatæ. Striolæ nigræ gulæ juguliqne tenues; pectoris latiores, per totam plumam excurrentes. Crissum fasciatum. Rectrices omnes nigræ, albofasciatæ: mediæ fasciis 6, tantum scapo interruptis; extima fasciis 5 integris. Rostrum obscure fuscum, culmine 20—22 mm. Ala ♂ 92, ♀ 95 mm. (Mus. Sthm.). *Chili*. (Id. Mus. Berol; — Mus. Brit. ex *Chiloë:* ♂ striolis pilei nitidis, non albis; id. Mus. Leyd.).

50. PICUS *mixtus* Bodd. (ex Pl. Enl. 748): — Mus. Hein. 76. — *P. bicolor* Gm; — Malh. I, 137, t. 34. — Superne nigrofuscus, albidofasciatus, subtus albidus, longitudinaliter fuscomaculatus. — Pileus fuscus: *maris* albomaculatus fascia occipitali angusta rubra; in *juveni* totus rubrovarius; *feminæ* totus fuscus. Alæ albomaculatæ; uropygium evidenter albofasciatum. Vitta postocularis lata, brevior quam in præcedenti, maculam magnam, oblongam formans; dilutius fuscà. Vitta malaris angustior, elongata, maculis parvis, fuscis composita. Gastræum omnino ut in præcedente pictum, sed maculæ fuscæ, nec nigricantes;

majusculæ, oblongæ, in apicem plumarum excurrentes. Rectrices nigrofuscæ, fasciis albidis 6 (et 5), latis et exacte ut prioris formatis. — Hæc sp. a præcedente vix differt, nisi colore fusco pro nigricante, præsertim pilei et vittæ postocularis. Rostrum quoque paullo minus: culmine c:a 18 mm. Ala 85,—90 mm. — Hab. in *regione Platensi* (Montevideo; forte etiam Paraguay, (Az.). — Mus. Berol.; Leyden).

51. PICUS *cancellatus* Wagl. Isis 1829, 510; — Mus. Hein. 78. — *P. wagleri* Malh. I. 112, t. 29. — Simillimus præcedenti, a quo tamen differre videtur: maculis gastræi fuscis parvis, apices plumarum non attingentibus; plerisque oblongis; lateralibus vero transversis vel angulatis. Reliqua pictura capitis, corporis, caudæ ut in descr. præcedentis. Hab. in *Brasilia meridionali* (San Paolo; Mus. Berol). Parum sane a præc. differt; nec patria multum distat. Differentia igitur specifica paullum dubia apparet. In sp. Musei Berol., ♂ adultus occipite latius rubro, ♂ juv. plumis pilei, puncto medio albo apiceque rubro ornatis, agnoscuntur.

2:o. *Vittâ postoculari nullâ.*

52. PICUS *querulus* Wils. — Malh. I, 134, tab. 31. — *P. borealis* (nomen ineptum) Vieill. N. Dict; — Enc. 1304; — Mus. Hein. 70 (Threnopipo *bor.*). — Superne niger, albofasciatus; alis maculatis; subtus albus ad latera nigroguttatus. — Pileus niger; in *Mare* striolâ ad latera occipitis rubra (ut in sp. parvis, asiaticis, plerisque inter 73 et 86). *Juvenis* vertice rubrovario. — Latera capitis tota alba; vitta malaris lata, nigra, ad alas ducta. Maculæ gastræi, ♂ rotundatæ, ♀ transversæ. Uropygium nigrum. Rectrices laterales, utr. 2, albæ, fasciis 3 vel 4 nigris, in pog. externo imperfectis vel nullis. Penna 3:tia pog. externo, majore parte, albo maculisque apicis interni 2 v. 1, albidis; 4 mediæ nigræ, immaculatæ. — Ala 120 mm. Cauda 85. Rostrum paullo tenuius quam præcedentium; sed tamen hujus, nec sequentis Tribus. Alæ et rectrices mediæ elongatæ ut in sp. Tribus sequentis. — Habitat in *America septemtrionali*, meridiem versus (vix supra 40° lat.).

## Sectio 3. **Sp. tetradactylæ veteris orbis.**

Ab americanis (Sect. 3) differunt: vel ventre rubropicto, vel pileo antice pallido, postice nigrocincto.

1:o. Rubriventres:

erisso rubro; pileo nigro, vel rubropicto. Vitta postocularis nigra nulla. Rectrices mediæ totæ nigræ (præter sp. 2 ultimas: 69, 70).

*a*) Plaga scapularis magna, alba.

Dorsum, cum tergo, totum nigrum, immaculatum.

*) Linea malaris nigra cum nigredine occipitis conjuncta; dein ad latera gutturis continuata, discreta. (Albedo igitur capitis lateralis a plaga alba in lateribus colli discreta). — Dendrocopus Koch; M. Hein. p. 30.

53. PICUS *major* L. — Malh. I, p. 56, t. 16. — Fascia antepectoralis nulla; rostrum crassius, lateribus tumidum. — Supra niger,

fronte antica, brevi, albida. Pileus niger; in *Mare* fascia occipitis rubra, in *femina*, nulla adest. Juvenis anni, ♂♀, pileo rubromaculato. — Plaga scapularis magna et maculæ remigum albæ, supra descriptæ. Latera capitis pure alba. Gastræum album, non maculatum, sed plerumque a resina arborum sordidum; crisso toto saturate rubro. Linea malaris lata, pure nigra, ad latera juguli desinit, nec in fasciam ante pectus continuatur. Rectrices 4 mediæ nigræ; reliquæ (utr. 3) extus late albæ, fasciis 2, vel in extima 3, nigris. (4:ta interdum quoque apice alba). Rostrum et pedes obscuri. Ala (♂♀) circa 138 mm. — Habitat in *Europa* fere tota et *Sibiria* (tota: Pall. Midd.). Sequentes vero (sp. 54—59 vel plures) vix nisi formæ ejusdem variæ, meridionales, habendæ.

54. PICUS *luciani* Malh. p. 63, t. 17. — Simillimus P. majori, sed paullo minor, ala 128 mm; crisso cum ventre medio et tibialiis rubris; rostro paullo longiore; lateribus capitis gastræoque sordide fulvescentibus. — *Mas* fascia occipitis rubra, paullo latiore. — Ex *China* (Swinh. Z. Pr. 1863, 268. Antea non nisi unicum specimen, in Museo parisiensi, cognitum. Malh.). Vix nisi varietas P. mandarini, Swinh. l. c.

55 PICUS *gouldii* Malh. p. 62, t. 17; — Mus. Hein. l. c. — A. Pico majori differt gastræo fulvo, crisso cum medio ventre rubris. Latera capitis alba, macula media (auris) magna, grisea. Fascia antepectoralis nulla. (Malh.). Ala 131—135 mm (Mus. Hein.). — *China*. — Est "varietas sequentis" Swinh. l. c.; nec differt nisi picturâ antepectorali nulla rubra.

56. PICUS *mandarinus* Malh. p. 61, t. 17; — Mus. Hein. — Fascia antepectoralis ad latera nigra, medio rubra. Gastræum sordide fulvum et macula auris magna, grisea, albocincta, ut in præcedente. Rostrum longius quam r. P. majoris, paullum depressum, carinis nasalibus latius a media distantibus, fere ut in sp. tridactylis. Ala 130 mm. Diff. sexus ut in præcedentibus. — *China* (Mus. Berol.).

57. PICUS *cabanisi* Malh. p. 60, t. 17. — A Pico majore vix differt nisi fascia antepectorali, medio interrupta, antice medioque rubro maculata, et magnitudine paullo minore: ala 125 mm. Latera capitis pure alba. Etiam guttur et venter anterior purius alba. ♂ occipite rubro. — *China* (Etiam hic varietas præcedentis, a Swinhoe; l. c. habetur).

58. PICUS *numidicus* Malh. 65, tab. 18. — Fascia antepectoralis integra, rubra, (in ♀ latior, nigrovaria). Latera capitis pure alba. Gastræum sordide album, crisso ventreque medio rubris. Occiput *Maris* rubrum, *feminæ* colore pilei. Ala ♂ 125, ♀ 123 mm (M. Sthm. — 127 M. Hein.). Rostrum plerumque longius quam rostrum Pici majoris, sed sat variabile; semper angustius, lateribus ad ¾ rectis, apice cuneato-attenuato. — *Algieria*, *Tanger*.

59. PICUS *himalayensis* (Jard. et Selby); Malh. 67, t. 19. — Mus. Hein. l. c. — Iterum simillimus P. majori, a quo præsertim differt pileo *maris* toto (præter frontem, brevius albidam) rubro, lateribus anguste nigrocincto (ut in hornotinis P. majoris). Etiam paullo minor: ala 130 mm. — Gastræum sordide album, crisso, (non vero ventre medio) rubro; fascia pectoris nulla. Plumæ quædam, in plaga alba,

scapulari, nigrolimbatæ. Vitta malaris nigra minus late cum nigredine cervicis conjuncta. Rectrices ut in P. majori, sed 3:tia vix nisi puncto, vel limbo minimo, pallido, ad apicem picta. Rostrum paullo longius, lateribus rectis (ut in præcedenti). *Femina* pileo nigro. — *Himalaya*. Specimina vidi in Mus. Britannico, Leydensi et Berolinensi).

**) Albedo capitis collique lateralis continua, non in duas partes divisa; linea enim malaris cum nigredine cervicis non conjuncta. Rectrices laterales nigræ, pictura alba minore.

60. PICUS *assimilis* Natt. — Malh. I, 69 t. 19. — Mus. Hein. 37 (Dendrocopus). — Picturâ omni similis præcedenti et P. majori, præter rectrices laterales, utrinque 2, nigras, extus fasciis sub-3 albis, nigredine interjecta non vel parum latioribus. Pileus *maris* ruber (non nigrocinctus); *feminæ* niger. Minor: ala circa 120 mm. — *Kashmir* (Brit. M.).

60 *b*. P. *scindeanus* Horsf. & Moore Catal. II, 671; — Malh: I, 73 (icone nulla); — Mus. Hein. 42. — Descriptio (Horsf. et Moorei) nimis manca, nullam differentiam a P. assimili exhibet: "similis P. medio, sed minor, pileo toto rubro. Latera corporis non roseo induta, sed sordide alba. Linea lata, nigra, a basi maxillæ inf:s ad latera colli. Ala 4⅝ poll. Angl." (116 mm). — *Scinde* (v. Sinde, ad fl. Indum. — Horsf. et Moore).

61. PICUS *syriacus* Hempr. et Ehr. Symb. — Malh. p. 95, t. 20; — Mus. Hein. 42 (Dendrocoptes syr.). — Rectrices omnes nigræ; extima fasciis 2 macularibus apiceque albis; 2:da apice extimo maculaque externa parva, albis; 3:tia interdum apiculo albo. — Nigrofuscus (capite alisque, actione solis aërisque in habitu juvenili?, decoloribus, fuscis). Gastræum album, haud nigrostriolatum, fascia antepectorali, maculari crissoque pallide rubris. Plaga alba scapularis minor quam sp. affinium. Pileus fuscus, plagâ maxima rubra (præter dubium signum avis *junioris*, neque sexus masculini adulti). Ala circa 122 mm. (Mus. Berol.). — *Syria—Persia*.

61 *b*. P. *feliciæ* Malh. p. 127, t. 28; — Mus. Hein. 30 (Dendrocopus). — Niger et albus, ut P. major (nec fuscus); fascia pectoris nulla; plaga scapularis magna (vel major quam P. majoris); crissum pallide rubrum (in descr. Malh. l. c. crissum "minus late rubrum" dicitur; sed in icone cit. color ruber latius extensus exhibetur). Rectrices omnes nigræ: extima fasciis 2 albis; 2:da, extus maculis 2 parvis, vel etiam immaculata. Pileus niger; occiput in *mare* rubrum. Ala 130 mm. — Hab. in *Syria* et circa urbem *Mosul* [ad Tigrim, Kurdistan]. Malh. — Hunc ipse non vidi, sed tamen suspicari licet, eum nil esse, nisi statum perfectum, seniorem, præcedentis. Specimen, a Malh. l. c. pro juvene hujus descriptum et pictum, vix, nisi P. himalayensis (n:o 59) esse potest.

62. PICUS *darjilensis* Blyth; — Mus. Hein. 36 (Dendrocopus). — *P. majoroides!* Hodgs. — Malh. I, 70, t. 16. — Gastræum fulvum, totum creberrime nigrostriolatum (vel longit. maculatum), præter gulam albidam et crissum, saturate rubrum. Rectrices laterales, utrinque 3, fasciis albis, minus latis. Plaga scapularis alba minor. *Mas* occipite

late rubro. Magnitudo præcedentium: ala 127—130 mm. — *Nepal, Sikim.* (Mus. Britann.; Berol.; Leydense).

63. PICUS *cataphoricus* R:bch: P. cathpharius! Hodgs. et Auctt. — Malh. 104, t. 22; — Mus. Hein 51 (Xylocopus). — Gastræum fulvescens, gutture immaculato, ventre crebre nigrostriolato, ante latera pectoris leviter rubido-mixto; crisso pallide (vel obsolete) rubro, parcius nigrostriolato. Plaga scapularis parva. Rectrices nigræ: extima et 2:da fasciis subintegris, 3:tia maculis pogonii externi, albis. Similis præcedenti, sed multo minor: ala c:a 100 mm. *Mas* occipite late rubro. — *Nepal, Bootan.* (Mus. Berol.).

Obs. *Picus khan,* Philippi, Archivio per la Zool. etc. Modena 1864, ex *Persia,* memoratus in Ibide 1864, p. 400, ut: "affinis P. syriaco, P. himalayensi et cet."; avis vero ejusque descriptio nobis incognitæ.

*b*) Dorso nigro alboque, plaga scapulari nulla.

*) *Majores, dorso non fasciato, antice nigro, tergo albo.* (Dendrodromas Mus. Hein. 38).

64. PICUS *insularis* Gould. Z. Proc. 1862. 283; — Mus. Hein. l. c. — Supra niger, plumis tergi inferioris apice albis; lateribus colli nigris. — Similis P. leuconoto, sed nigrior et minor: ala 125 mm. Pileus nigro rubroque varius (junior). Plumæ scapulares apice albomaculatæ. Subtus fulvescens, lateribus nigrostriolatus; crisso dilutius rubro. Plumæ paucæ ventris pallide roseotinctæ et, pro fascia antepectorali, quædam adhuc pallidiores. Guttur album; linea ordinaria nigra ad latera juguli non distincta, sed cum nigredine cervicis confluens, unde latera colli tota nigra. Rectrices nigræ; externæ, utrinque 2, apice albidofasciatæ; reliquæ immaculatæ. — Ex insula *Formosa* (Mus. Hein.). [Picturâ fere medius inter præcedentes et sequentes videtur; sed re vera non est nisi forma P. leuconoti meridionalis, picturâ nigra fortiore, alba restrictiore].

65. PICUS *leuconotus* Bechst. — Malh. I, 89, t. 23. — Mus. Hein. l. c. — Dorso anteriore nigro tergo toto albo. Subtus albus, lateribus nigrostriolatus, crisso ventreque medio pallide rubris. Rectrices laterales, utrinque 2, albæ, fasciis paucis nigris; tertia nigra, maculis 2 vel 3 marginalibus, albidis; 4 mediis totis nigris. — Alarum tectrices mediæ et majores albomaculatæ. Linea ordinaria, ab angulo oris ad latera pectoris ducta, fere ut in P. majori, cum nigredine occipitis conjuncta et ad latera colli distincta. Frons brevius alba; pileus reliquus *maris* ruber; *feminæ* niger. Ala circa 145 mm. Rostrum rectilineare, paullo longius et angustius quam P. majoris; forte, medio non compressum, carinis altis. — *Europa orientalis; Suecia* (r.).

66. PICUS *cirris* Pall. Zoogr. I, 410; — Mus. Hein. l. c. — *P. uralensis* Bonap. — Malh. I, 92, t. 23. — Simillimus præcedenti, nec aliud nisi forma ejus orientalis, picturâ alba latiore, nigra minore. Paullo major: ala circa 150 mm. Dorsi pars anterior, nigra, paullo brevior. Striolæ ad latera ventris tenuiores, in mare vetere, magna parte evanescentes. Maculæ alarum albæ majores. Fasciæ rectricum nigræ angustiores, maculares, et rectrix quoque 4:ta paullum albo-

notata. *Habitat* in Sibiria tota. Hæc forma re vera a Pallasio loco cit. descripta).

**) *Minores dorso albofasciato.*

(Rectrices mediæ in 2 prioribus totæ nigræ, in 2 posterioribus, albomaculatæ. — Dendrotypes Mus. Hein. 46).

67. PICUS *atratus* Blyth. Journ. As. Soc. 1849; — Malh. p. 72; Mus. Hein. l. c. — Similis insequenti, subtus sordide albidus, creberrime nigrostriolatus; jugulo parcius striolato; crisso rubro. Rectrices 6 mediæ immaculatæ; laterales, utrinque 2, minus albo-pictæ quam P. macei, (2:da apice fasciisq. 3 pog. externi, una interni, albis). Ala 118 mm. — *Tenasserim* (Mus. Hein. ex Blyth. l. c.).

68. PICUS *macæi* Cuv. Vieill. — Malh. I, 96, t. 24. — Mus. Hein. l. c. — Superne nigro alboque fasciatus, cervice uropygioque nigris; subtus albidus, ventre antice lateribusque parcius nigrostriolato; crisso rubro. Rectrices nigræ: laterales, utrinque 2, albofasciatæ; 3:tia maculis prope apicem paucis, marginalibus; 4 mediis immaculatis. Linea ordinaria nigra ab angulo oris, ad latera juguli ducta, simplex. Pileus *maris* ruber *feminæ* niger. Ala 100 mm. (M. Sthm.; 112 Malh.; 126 M. Hein. lapsu?). — *India* (Bengal. Nepal; Malacca Blyth.).

69. PICUS *analis* Temm. — Malh. I, 99, t. 24. — Mus. Hein. l. c. — Similis P. macei; differt crisso pallide, vel, in juniore, obsolete rubro; rectricibus omnibus albidofasciatis. (Fasciæ in rectr. lateralibus 6, tantum scapo interruptis; in mediis 4, latius interruptis: basali plumis occultata). Striolæ ad latera pectoris antici latiores, nigræ; ad latera ventris angustæ, pallide fuscæ. Pileus *maris* niger rubromaculatus, *feminæ* niger. Ala, ♂♀, 94 mm. *Java* (M. Sthm.); *Sumatra*. (Ins. Philipp. Malh.: an rite?).

70. PICUS *andamanensis* Blyth. J. As. Soc. 1859; — Mus. Hein. 48. — A præcedenti differt crisso intense rubro; rectricibus mediis fasciis interruptis tantum 3. Maculæ pectoris antici majores, rotundæ, nigræ, albocinctæ. Regio auris nigrostriolata et striolæ ventris laterales evidentiores. Ala 94 mm. — Ex. *Ins. Andamanis.* (M. Hein., ex Bl.).

2:o. Ventre nulla parte rubro.

Pileus pallidus: albidus vel fuscescens, postice late nigrocinctus. — Sp. parvæ, dorso plerisque fasciato; plures fuscæ, neque nigræ. Pileus maris vario modo rubropictus.

a) *Vitta pone oculos nulla nigra* (Sæpius vero macula auris, ab oculo discreta, pallide fusca, adest). — Rectrices mediæ tota nigræ, præter sp. 74, intertropicalem.

*) Purius nigri et albi, fronte alba, pileo posteriore nigro, plaga in vertice *maris* media, rubra. Septemtrionales Europæ et Asiæ.

71. PICUS *minor* L. — Malh. I, 113, tab. 26. — *Xylocopus m.* Mus. Hein. 51. — Supra niger, dorso albo, interrupte nigrofasciato; subtus sordide albus, ad latera nigrostriolatus. Pileus postice et ad latera, niger; antice, usque ad medium verticem, in *femina*, albus. *Mas* plaga verticis rubra, fronte late alba. Rectrices laterales, utrinque 2,

albæ, basi intus fasciisq. fere 3 nigris; tertia nigra, apice oblique albida; 4 mediæ totæ nigræ. Linea ordinaria ad latera genarum, antice pallida, fuscescens; postice nigra, in lateribus colli angulatim dilatata. Ala circiter 90—93 mm. — *Europa* fere tota.

Var. meridionalis Malh. l. cit.; t. 26; (*P. ledouci* Malh. olim): — paullo minor: ala 87 mm; colore nigro saturatiore, maculis nigris magis definitis. Etiam plaga rubra in vertice maris paullo major et intensius rubra. Ex *Algeria*.

Var. borealis item agnoscitur colore albo, præsertim gastræi, puriore; pictura dorsi alba paullo majore, fasciis magis confluentibus; maculis nigris minoribus. Rectrices basi paullo brevius nigræ. Plerumque paullo major: ala fere 95 mm. In *Scandinavia*.

72. PICUS *kamtschatcensis* Bonap. — Malh. p. 115, t. 26. — Simillimus P. minori, præsertim varietati ejus boreali, a quo tamen differre videtur defectu striolarum nigrarum ad latera ventris (saltem in mare vetere; incertum an in femina vel juniore adsint). Rectrices laterales latius albæ, *4:ta etiam ad* apicem albidonotata. Ala 97 mm. Ex *Kamtschatka*. (Unicum specimen masculinum cognitum; Malh.).

**) Fusciores, pileo griseo, postice nigrocincto. *Mas* striola occipitis laterali, vel fascia occipitis, rubra. (Vitta malaris et pictura in genere sequentium). Asiaticæ.

73. PICUS *canifrons* n. sp. dorso anteriore albo, (fasciis inter scapulas nigras plane nullis). Pileus griseus, postice late nigrocinctus. *Mas* striola ad latera occipitis rubra ventreque toto sordide albo, immaculato; *Femina* striola rubra nulla; ventre toto crebre nigrostriolato. Rectrices laterales, utrinque 3, extus late albæ, extima fasciis 2 fuscis; reliquæ (4 mediæ) totæ nigræ. Alæ pure nigræ, albomaculatæ. Vitta malaris fusca. Macula auris major, pallide fusca, adjecta macula minore, nigra, post aurem. Ala, ♂ 102, ♀ 99 mm. — *Junior* striola rubra ad latera capitis, ut in mare; vêntre nigrostriolato ut in ♀. — Habitat in *China septemtrionali* (Peking; Mus. Paris).

74. PICUS *auritus* (Eyton); — Malh. I, 150, t. 35. — Mus. Hein. 59 (Bæopipo aur.). — Superne fuscus dorso tergoque albofasciatis, alis albomaculatis. Latera capitis alba, vitta malari elongata, lata, fusca, sed nulla macula pone oculos. Pileus dilutius fuscus, postice cerviceque nigris, striolâque ad latera occipitis in *mare* rubra. Subtus fulvoalbidus, fusco striolatus. Rectrices fuscæ: laterales, utrinque 2, late albæ, fuscofasciatæ; 3:tia maculis marginalibus 4 albis; 4:ta maculis 3; etiam media (5:ta) macula parva, marginali, ad apicem notata. Rostrum majus, cauda brevior quam affinium. Ala 82 mm. cauda 34. — *Malacca* (Malh.).

75. PICUS *kaleensis* Swinhoe, Ibis 1863, 390: — *Dendrotypes nesiotes* Mus. Hein. 49 (junior); — supra niger (uropygio dorsoque immaculatis) tergo late albofasciato. Pileus antice fuscogriseus, occipite cerviceque nigris. Gastræum sordide fulvescens, striolis fuscis, in pectore antico latioribus. Alæ extus albomaculatæ. Rectrices 4 mediæ totæ nigræ; proxima extus pallidimarginata: 4:ta margine latiore, apice fasciaque flexuosa pallescentibus; extima apice. fasciis 2 definitis, limboque

basali pallidis. Vitta malaris longa, obscure fusca; alia "ab angulo oculi, per genas, pallide fusca (vitta post-, vel infra-ocularis? "from the corner of the eye across each cheek"). Gula alba. Plumæ subalares albæ, nigrofasciatæ. Striola ad latera occ:s *maris* rubra. — Orbita nuda fusca. Iris rufescens. Ala ($3\frac{6}{10}$ p.) 92 mm. — Ins. *Formosa* (Swinh.). — *Junior* (Mus. Hein. l. c.) ventre medio et crisso obsoletius fuscofasciatis. Rectrices laterales paullo magis fasciatæ, 3:t:a quoque maculis marginalibus pallidis. Pileus plumis rubris varius. Latera capitis alba, "vitta subobsoleta latiore, brunnescente, post oculos oriente, utrinque in colli lateribus usque in pectus deducta." (V malaris, an ulla?). Ala (3 p. 9) 98 mm. — *Formosa.*

*b*) *Vitta* (vel macula) *postocularis nigra vel fusca* (in ipso margine oculari incepta). — Sp. fuscescentes, subtus pallidæ, crebre striolatæ pileo grisescente, postice nigrocincto; occipite, in *mare*, striola laterali vel fascia postica picto. — Omnes Asiatici. Gen. Yungipicus! Bonap.; Bæopipo Mus. Hein. 54.

*) Rectrices mediæ totæ nigræ. — Sp. *Asiæ temperatioris.*

76. PICUS *semicoronatus* Malh. 1848; — Malh. Mon. I, 148, t. 34. — Mus. Hein. — Dorsum nigrofuscum fasciis latioribus albis; tergum et uropygium alba fasciis angustis nigris. Gastræum fulvoalbidum, fuscostriolatum, gula alba. Rectrices 4 mediæ nigræ, immaculatæ; 3:tia extus paullum pallidilimbata; laterales, utr. 2, fuscæ, fasciis 3 albis (in rectrice 2:da tantum pogonii externi). — Pileus griseus; posterius nigrocinctus; occipite *maris* late rubro, *feminæ* nigro. Alæ antice parum albomaculatæ. Ala 84 mm. Cauda 41. — *Nepal* et terræ circumjacentes. (Malh.).

77. PICUS *mitchelli* Malh. I, 142, t. 32. — Mus. Hein. l. c. — Superne fusconiger, latius albofasciatus, uropygio (tectr. caudæ) cerviceque nigris, fasciis nullis. Subtus albidofulvescens, nigricante striolatus. Vitta pone oculos lata, elongata et stria malaris angusta, brevis, fuscæ. Rectrices laterales, utr. 2, fuscæ, albidofasciatæ; 3:tia margine externo longiore (apicem versus), maculaque interna juxta apicem, albidis; reliquæ, 4 mediæ, totæ nigræ (vel interdum 4:ta ad apicem leviter pallidimarginata). Pileus cinerascens, postice latius nigrocinctus et, in *mare*, striola laterali rubra pictus. Ala 86 mm. *Nepal.* (Mus. Britann. Berol.).

78. PICUS *pygmæus* Vig. — Malh. I, 147, t. 34. — Simillimus præcedenti a quo differt magnitudine paullo minore, caudâ breviore; tectricibus caudæ, (ut tergum dorsumque) late albofasciatis; rectrice 3:tia margine externo, apicem versus, brevius albido, interno vero immaculato. Ala 84; cauda 41 mm. — *Nepal.* (Malh., qui specimen Vigorsii descripsisse ait).

79? PICUS *scintilliceps* Swinh. Ibis 1863, 96. — Mus. Hein. l. c. — "Affinis P. mitchelli; subtus fusco-ochraceus, nigro longitudinaliter striatus;" "vertice cano." — Reliqua descr. allata huic non peculiaris: "strigis auricularibus mystacibusque griseofuscis; naribus strigaque oculari albis;" "supra maculis fasciisque albis latioribus; occipite nigro, in

maribus solis utrinque flammeo ornato" (Rectrices non descr.) — "Ala 4 p." (101 mm). *China Septemtr.* (Swinhoe. Mihi ignotus).

80. PICUS *Kisuki* Temm. — Fn. Jap. 74, t. 37. — Malh. I, 154, t. 36. — Capitis latera fusca, striola p ne oculos, superiore, alba (vitta enim postocularis latissima, cum pileo fere tota confluit). Vitta malaris discreta, nigrofusca. Cervix alba, vitta media nigra. Dorsum et alæ fusca, albofasciata; gastræum albidum, ventre crissoque fuscostriolatis, gutture pure albo. Rectrices laterales, utr. 2, albæ, nigrofasciatæ; 3:tia limbo externo, lato, undatim albo; 4:ta angustius albomarginata; media tota nigra. *Mas* striola rubra temporali distinctus. Ala 79 mm; c. 45. — *Japonia.* (Mus. Leydense).

**) Rectrices omnes albidofasciatæ vel maculatæ. — Sp. *Asiæ tropicæ.*

81. PICUS *meniscus* Malh. I, 151, t. 35. — Mus. Hein. — Superne, cum cervice et uropygio, nigrofuscus, albofasciatus. Ala albomaculata. Subtus fulvoalbidus, nigrostriolatus, gula purius alba. Pileus cinereus, posterius late nigrocinctus, et, in *mare*, fascia occipitis rubra, non lata. Vitta pone oculos latior et vitta malaris angusta, fuscæ, elongatæ. Rectrices omnes nigrofuscæ, fasciis 2 interruptis, punctisque 2 ad apicem, albis. (Fascia rectricum tertia, verisimiliter adest, basi, obtecta) — Tectrices caudales in icone cit. albæ, macula media nigricante. Ala 82 mm. C. 40. — *Bengalia* (Malh.).

82. PICUS *gymnophthalmus* Blyth. Journ. As. Soc 1849; — Malh. p. 153, fig. nulla; Mus. Hein. p. 59. — Superne fusconiger, albofasciatus, alis antice vix maculatis, remigibusque primariis extus parum maculatis. Pileus obscure fuscus, postice purius nigrocinctus et, in *mare*, striola laterali rubra ornatus. Subtus sordide griseo-albidus, fere immaculatus, vel, in *juniore*, striolis angustis dilutius fuscis; gula alba, immaculata. Vitta pone oculos lata, nigrofusca; vitta malaris obsoletior, angusta. Rectrices breviores, nigricantes; omnes, extus intusque, maculis 3, parvis, marginalibus, albidis. Ala 75 mm. — *Ceylon* (Mus. Britann. et Berol).

83. PICUS *nanus* Vigors, Z. Pr. 1831, 172; — Malh. I, 145, t. 33. — Mus. Hein 57. — Y. *hardwickii* Jerdon Ind. I, 278. — Pileus fulvo-fuscus, postice vix nigrocinctus, sed in *mare* striola laterali ord. rubra pictus. Corpus superne obscure fuscus, albofasciatus (uropygio quoque albomaculato), alis antice parum maculatis. Venter fulvoalbidus: in *juniori,* dilutius fuscostriolatus, in *seniore* striolis tantum paucis, fuscis, in lateribus crissoque. Vitta postocularis lata, elongata, rufescentifusca; vitta malaris angusta, præsertim antice obsoleta. Rectrices omnes nigricantes fasciis interruptis 3 et, præter 2 medias, punctis juxta apicem 2, marginalibus, albis. Ala 75 mm. — *India propria,* fere tota. (Malh. Jerd. Mus. Hein.).

Obs. *P. otarius* Malh. I, 152, t. 35, et *P. freniger* Reich:bch Handb.; Malh. p. 141 absq. fig., vix dubie sunt P. nanus junior. — Idem videtur *P. moluccensis* Gm. Lath. 25 (ex Buff. et Pl. Enl. 748, 2).

84. PICUS *variegatus* Wagl. Syst. sp. 27; — Malh. I, 139, t. 33; — Mus. Hein. 54. — Superne fuscus, in dorso latius, in uropygio crebrius albofasciatus; pileo cinereofusco, postice latius nigrocincto,

striola *maris* ordinaria laterali, rubra. Subtus sordide albus, fuscostriolatus, (ventre medio fere immaculato). Vitta pone oculos lata et vitta malaris paullo angustior, saturate fuscæ, usque ad alas ductæ. Rectrices omnes fuscæ, fasciis interruptis albis: in mediis 2, in reliquis 3 et summus apex albidus vel albidomarginatus. Ala 75 mm. C. 45. — *Java, Borneo* (Mus. Leyden. et Berol.); *Sumatra* (M. Hein.).

84 *b*. PICUS *canicapillus* Blyth. — Malh. I, 141 (icone nulla); — Mus. Hein. p. 58. — Simillimus P. variegato, a quo vix differt nisi rostro magis albido et vitta postoculari pallidiore. (Malh. ex Blyth. — Differentia magnitudinis et coloris pilei primum a Blyth memoratæ, dein ab eo negari videntur. Sp. paullum dubia). *Arracan, Tenasserim*.

85. PICUS *validirostris* Mus. Hein. IV, 60 (Bæopipo). — P. minor var. *β* Lath. (ex Sonnerat Voy. N. Guin. 118, t. 77); — *P. moluccensis* Malh. 143, t. 32 (nec P. mol. Gm. Lath. de quo vid. post P. nanum, sp. 83). — Supra nigrofuscus, albofasciatus; subtus fulvescenti albus, in gutture inferiore crissoque maculis latis, rotundatis, nigricantibus, in ventre striolis fuscis, maculatus. Pileus dilutius fuscus, postice latius nigrocinctus et, in *mare*, striola laterali, rubra. Vitta postocularis lata, usque ad alas ducta, et vitta malaris angustior, macularis, elongata, nigrofuscæ. Rectrices nigrofuscæ, maculis marginalibus, in mediis, utrinque 3, in reliquis 4 et nota apicis albidis. Alarum tectrices minores et remiges primariæ pogonio externo vix maculato. Ala 80, 85 mm. C. 40. Rostrum fuscescens. (Mus. Brit. et Berol.). — Ex *insulis Philippinis*.

86. PICUS *temminckii* Malh. 1849; — Monogr. Pic. I, 155, t. 36. — Dorso alisque fuscis guttis parvis, albis maculatis; cervice tota alba. — Pileus dilutius fuscus, postice vix obscure cinctus. Vitta postocularis pileo concolor, latissima, postice cum pileo fusco conjuncta. (Latera igitur capitis, ut in P. kisuki, tota fusca, relicta striola superiore, pone oculos, alba). Vitta malaris tantum punctis fuscis indicata. Venter griseoalbidus, striolis latioribus, pallidius fuscis, maculata. Rectrices omnes fuscæ, fasciis 3 interruptis, albidis. Ala 75 mm. (♀, veris. junior, in Mus. Leyd.). — *Celebes*.

## Sectio 4. **Sp. tetradactylæ, anomalæ,**
ventre nigro.

87. PICUS *albolarvatus* Cassin, 1850 (Leuconerpes); — Malh. II, 221, t. 3 (Xenopicus); — Mus. Hein. 74 (Xenocraugus alb.). — Supra subtusque niger, capite colloque albis. — Ala 130 mm. *Mas* fascia occipitis rubra, angusta. — Macula albæ nulla. Remiges primariæ basi, utrinque, longe albæ; cubitales et rectrices totæ nigræ. — Colore gastræi nigro et notæo pennisque, non albomaculatis, a præcedentibus differt; sed formâ rostri omniumque partium, proportione digitorum et staturâ corporis eis simillimus. Rostrum præsertim rostro P. leuconoti simile, nec ut in P. medio formatum. — *America septemtr. occidentalis* (Oregon, California. Mus. Britann. et Berol.).

## TRIBUS 6. *Pici intermedii*

Superne nigri, vel fuscescentes, albo-varii, remigibus ut in Tribu præcedente albomaculatis; corpore subtus albido. Rostrum gracilius, medio leviter compressum; lateribus, ante medium, conico-convexis (nec ut in præcedentibus: areis 2 planis, in angulo vel carina conjunctis, formatis). Apex rostri acutius cuneatus, lateribus non vel obsolete carinatus. Carina culminis alta, acuta. Max. inf. subtus tereti-rotundata, vix carinata. Alæ elongatæ. Rectrices fortius gradatæ, parum tritæ; mediæ apice longo, angusto terminatæ. (Digitus quartus variat: interdum tertio brevior).

1:o. Sp. Europæo-asiaticæ, ventre rubro-picto.

Capitis latera albida, vittà pone oculos nullà vel obsoleta. Dig. 4:tus semper 3:tio longior. (Sp. sola europæa, 88, pictura similis P. majori; asiaticæ (89—91) magis variegatæ).

88. PICUS *medius* L. — Malh. I, 93, tab. 20. — Dendrocoptes *medius* Mus. Hein. 41. — Supra niger, dorso toto, cum uropygio, immaculato; plaga scapulari magna alba; subtus albidus, lateribus nigrostriolatis, crisso ventreque medio pallide rubris. — Ala circa 125 mm. Pileus ♂♀ ruber. Linea malaris in *mare* vix apparet; in *femina* pallide fulvescens, obsoleta. Vitta tamen, secundum latera colli, ad pectus ducta, lata, nigra. Alarum tectrices nigræ, immaculatæ. Plaga scapularis, plus quam dimidia parte, a tectricibus magnis, albis formata. Remiges ut in Tribu præcedenti albomaculatæ. Rectrices nigræ: extima oblique, dimidiato-alba, fasciis 3 vel 2, imperfectis, macularibus, nigris. Proxima similis, sed brevius alba; tertia, prope apicem, albido marginata vel maculata. *Mas* et *femina* picturà similes; vitta tamen malari plerumque differunt (v. mox supra). In *juveni* vitta malaris pallide fuscescens et striolæ ad latera ventris obsoletæ; ala 110. — Habitat tantum in *Europa media*. — Picturam fere Pici majoris gerit, qua re a reliquis hujus tribus paullum differt; formà vero cum iis congruit et a Tribu præcedenti differt.

89. PICUS *auriceps* Vig. Z. Proc. 1831, 44; — Mus. Hein 45 (Liopipo). — *P. brunnifrons* Vig., Gould. Cent.; — Vig. l. c. p. 176; — Malh. I, 107, tab. 18. — Supra niger, albofasciatus; subtus albidus, crebre nigrostriolatus, ventre medio crissoque pallide rubris. Vitta malaris definita, antice fuscescens; dein nigra, simplex, ad alas ducta. — Sinciput fulvo-fuscum; plaga verticis posterior flavescens; occiput *maris* rubrum, *feminæ* fuscum. *Junior* pileo toto griseo-fusco. — Latera capitis albida. Alæ albomaculatæ. Rectrices nigræ; laterales, utr. 3, fasciis paucis, angustis, albis, pictæ; reliquæ immaculatæ. Ala circa 110 mm. — *Nepal* "Himalaya". (Mus Leydense; M. Berol.).

90. PICUS *hyperythrus* Vig. 1831; — Malh. I, 130, t. 30; — Mus. Hein. 50 (Xylurgus *hyp.*). — Supra niger, albofasciatus; subtus colloque rufus, crisso dilute rubro. Vitta malaris in *mare* nulla, in *femina* et *juniore* brevis, pallide fusca. — Pileus cum cervice *maris* ruber; *feminæ* niger, albopunctatus. *Junior* subtus sordide fulvescens,

plumis margine apicis fuscescentibus. — Maxilla superior nigra, inferior albida. Ala antice albomaculata. Uropygium nigrum. Rectrices nigræ; laterales, utr. 3. apicem versus albofasciatæ. Ala circa 120 mm. — *Nepal.* (Mus. Leyd.; M. Berol.).

90 *b.* P. *subrufinus* Mus. Hein 50 (ex Swinhoe, Z. Proc. 1862, 319 et Ibis 1863, 96: P. hyperythrus); — simillimus præcedenti, a quo differre dicitur: "colore [gastræi?] rufo in lateribus colli latius extenso, et dorso magis fasciato;" nec ulterius describitur. — Hab. in *China septemtrionali.*

91. PICUS *mahrattensis* Lath. Suppl. 2: — Malh. I, 105, t. 28. — Mus. Hein. 44 (Liopipo *mahr.*). — Dorsum et alæ nigrofusca, crebre albomaculata, (nec fasciata). Subtus albidus, longit. fuscomaculatus, ventre medio pallidius rubro. Rectrices omnes nigræ, maculis marginalibus, rotundatis, albis, extus fere 5. — Caput pallidum, cinerascens, pileo *maris* pallide rubro, antice flavescente: *feminæ* toto griseoflavescente. Gula alba. Plaga, secundum latera juguli sita, fusca, in vittam malarem, antice, præsertim in *mare,* obsoletam, continuata. Ala 100—110 mm. — *India propria,* præsertim meridiem versus; *Ceylon.* (M. Sthm; M. Berol.).

Obs. *Pici* sp., affinis præcedenti, "*Picus blanfordi* Blyth, ex Burmah superiore", nomine tantum memoratur: a Jerdon, B. of India I, 275; Mus. Hein 45.

2:o. Sp. Africanæ, parvæ, ventre non rubropicto, cauda brevi. Rectrices brevius gradatæ, sed, ut in reliquis sp., acutæ. Vitta malaris et V. postocularis subæquales, elongatæ. Digitus 4:us tertio multo longior. Color pallens et pictura fere P. mahrattensis. Forma rostri et pictura remigum rectricumque egregie hujus Tribus (Gen. Ipophilus M. Hein. 113).

92. PICUS *obsoletus* Wagl. Isis 1829, 510; — Malh. I, 206, t. 45; — Mus. Hein. 113; — Supra griseus, dorso immaculato, alis caudaque fuscis, totis albomaculatis. — Subtus sordide albus, immaculatus. Vitta malaris, ad latera pectoris extensa, et vitta postocularis, paullo brevior, sat latæ, dorso concolores. Pileus dorso concolor, sed occiput *maris* læte rubrum. Uropygium indistinctius albidofasciatum, plumis ultimis albidis, fasciis fusciis. Alarum maculæ albidæ, in tectricibus parvis magnisque rotundæ. — Remiges maculis utriusque marginis 4 v. 5; rem. maximæ apice longius immaculatæ. Rectrices omnes maculis utriusque marginis 5, majusculis. Ala 76 mm. — *Africa occid.* (Senegal).

93. PICUS *hedenborgii* nob. (cf. Malh. sub. P. obsoleto). — *P. murinus* Sundev. Vet. Ac, Öfv. 1850, 131 (nec P. mur. Malh., infra, n:o 119); — Mus. Hein. 113 (Ipoph.); — P. obsoletus jun. Malh. l. c.: — Omni re simillimus præcedenti, præter gastræum, in pectore toto, lineolis angustis, pallide fuscis, parce striolatum. Striolæ crissi paullo latiores. Etiam parum major: ♂ senior, ala 80; ♀ jun. ala 75 mm. Cauda utriusque 40. — Habitat juxta Nilum album, in terris *Kordofan* et *Sennaar.* (Mus. Stockh. specim. plura a Prof. Hedenborg allata).

Tantum stirps orientalis præcedentis habendus, sed notâ memorata constanter diversus.

Obs. Sp. h. l. allatæ plerumque habiti sunt affines Picis fulviscapis (Trib. 8:væ. Sic. Malh., Rüppell, Mus. Hein.); cum quibus formâ rostri et patriâ conveniunt. Nimis vero differunt defectu omnis coloris virentis vel flavi, præsertim scaporum, maculis remigum et rectricum formâq. vittæ malaris; quibus omnibus bene cum hac Tribu congruunt. — Sed etiam affines videntur Picis parvis, fuscescentibus et brevicaudatis, in Tribu præcedente descriptis, n:o 76—86. Quorum quidem nullum hodie ad manum habeo, nec nisi pauciores, in Museis exoticis, obiter vidi. Horum igitur formas non sufficienter cognovi.

3:o. Sp. Americanæ, ventre non rubropicto, (sed plerumque flavescente). Cauda longiore. — Capitis latera nigra vel fusca vel rubra, vitta postoculari non distincta. Dig. 4:tus magnitudine varius.

94. PICUS *cactorum* Lafr. d'Orb. Voy; — Malh. I, 102, t. 25; — Mus. Hein. 72 (Cactocraugus *cact.*). — Supra niger, plaga frontali maxima cerviceque albis; tergo, cum uropygio, transversim albovario. Subtus sordide albidus, gutture flavo, ad latera albo; crisso transv. nigromaculato. Alarum tectrices majores et remiges nigræ, utrinque albomaculatæ. Rectrices omnes nigræ fasciis 6 interruptis albis. — *Mas* maculâ verticis rubrâ a *femina* distinguitur. Latera capitis nigra; genæ albæ; vitta malaris nulla. Digitus 4 > 3. Ala 110—115 mm. — *Bolivia.* (Mus. Leyd., Paris., Britann.). — Obs. Rectricum apices, ut in P. medio, paullo minus elongatæ quam in reliquis; forma vero rostri et alæ longæ sunt hujus Tribus.

95. PICUS *thyroideus* Cassin 1851; — Id. Illustr. 201 pl. 32; — Malh. 162, tab. 37. — Mus. Hein 84 (Cladoscopus). — Supra subtusque niger, crebre, irregulariter albidofasciatus: uropygio albo; ventre medio longitudinaliter pallide flavo; plaga juguli inferioris nigra, magna, transversa. — Caput superne lateribusque dilutius fuscum, postice paullum nigrostriolatum; genis gulaque pallidis, vitta malari nigrostriolata, minus evidenti. Alæ totæ albidomaculatæ. Rectrices nigræ; media et extima fasciis obliquis, angustis, albidis. Rostrum nigrofuscum. Digitus 4:tus tertio parum longior. Ala 138 mm. *Mas* caret omni nota capitis rubra, et a *femina* vix differt nisi picturâ paullo definitiore. Hab. in *Nova Mexico, California, Oregon;* (Mus. Berol. ♂).

96. PICUS *williamsoni* Newberry; — Baird, Report, 105. — Malh. I, 163, t. 36. — Niger, nitidus, lineis ad latera capitis 2 albis; tergo, plaga alarum antica, magna, maculisque remigum parvis, paucis, albis. Ventris vitta media flavoalbida; latera, postice, nigro alboque fasciata. — Gula, inter lineas malares nigras, *maris* rubra, *feminæ* alba; sexus in reliquis similes. Jugulum et latera pectoris nigra. Lineæ capitis albæ, laterales, vittam postocularum lineamque malarem distinguunt; altera, supra oculum orta, occiput cingit; altera, e naribus orta, in latere colli desinit. Rectrices omnes totæ nigræ. Digitus 4:tus tertio paullo longior. Alæ 130—140 mm. — Hab. in *America sept. ad occidentem*, circa 40° lat:s, Rocky mount. — Oregon. (♂♂ Mus. Britann. et Mus. Berol.).

97. PICUS *ruber* Gm; — Lath. 10; — Malh. 132, t. 31; — Mus. Hein. 82 (Cladosc.). — Caput et collum (usque ad pectus, cum gula) rubra, linea lori alba, fuscomarginata. Corpus superne nigrum.

dorso pallidimaculato; plaga alarum alba, minore, e tectricibus quibusdum mediis et majoribus, extus late albis. Venter sordide flavescens, lateribus paullum fuscomaculatus. Tectrices quædam caudales albæ. Rectrices nigræ; mediæ, in pogonio interno, maculis 4 magnis, albis, non marginalibus, pictæ; laterales, utrinque 2, anguste pallidi-marginatæ. Cauda præterea immaculata. Remiges margine apicis albæ; maculæ externæ parvæ et in cubitalibus plerisque fere nullis. Plumæ dorsi medii macula apicis rotundata, albida notatæ; omnes in medio angulatim albido-cinereæ. Linea lori alba est initium lineæ albæ inferioris (cf. sp. præcedentem). Digitus 4:us æqualis tertio, ungue subminore. *Mas* a *femina* dignoscitur colore rubro paullo lætiore maculisque dorsi albidis laterumque fuscis, paullo evidentioribus. Ala 130 mm. (M. Sthm). — *America sept. occidentalis:* California—Nootka.

98. PICUS *varius* L. XII (ex Catesby et Briss.); — Lth. 21; — Malh. I, 157, t. 37; — Mus. Hein. 80 (Cladoscopus, typus.). — Supra nigro albidoque variegatus; lateribus capitis albovittatis; plaga alarum alba; rectricibus mediis intus (vel utrinque) maculatis. *Digitus 4:tus* tertio brevior et ungue minore armatus. Ala 120—130 mm. — Sp. maxime variegata et, pro ætate, maxime variabilis. — *Mas* perfectus: Pileus ruber, nigromarginatus et postice late niger. Linea, supra oculos orta, occiput cingens, alteraque, a naribus ad latera pectoris ducta, albæ, vittas 2 ordinarias, nigras distingentes. Vitta malaris et plaga juguli inferioris maxima, atra, conjunctæ et gulam rubram cingentes. Dorsum, cum tergo scapulisque, crebre, angulatim variegatum: plumis albis, maculis fasciisque angulatis vel interruptis, nigris. Tectrices caudales albæ, extus nigræ. Venter sordide albidoflavescens, ad latera fuscior, striolis sagittatis et simplicibus nigris. Remiges nigræ, ut in tribu præcedenti maculatæ, maculis externis in pennis maximis 8 v. 7; pleræquæ apice albomarginatæ; cubitales 2 ultimæ late albovariæ. Rectrices nigræ; laterales, utrinque 2, plus minusve albomarginatæ, et interdum, extus vel intus, maculis parvis albis ornatæ; (3:tia, interdum, apice albomarginata); 4:ta immaculata; 5:ta pogonio externo immaculato, interno albo, maculis vel fasciis fere 4, nigris, parvis. Rostrum et pedes nigrofusci. Iris fusca.

*Femina* a mare differt: gula alba; ventre medio sordide albido, vix flavotincto; vittis capitis, præsertim malari, minus definitis, pallidomixtis. Magnitudo, color pilei et omnis pictura ut maris; *variat* tamen pileo toto nigro.

*Juv. hornotinus* (Wisconsin, 20—25 Sept; Kumlien), superne dilutius fuscus, dorso ut in adultis nigromaculato; uropygio et tectr. caudæ albis, plumis extus nigris. Pileus fuscus, maculis, præsertim in *mare*, parvis, fulvescentibus punctatus; in ♂♀ plerumque plumis rubris variegatus. Vittæ capitis laterales ut in adultis ductæ, sed parum definitæ, fuscæ et albidæ. Gula sordide albida. Jugulum c. pectore antico et laterali fusca, plumis obscurius, obsolete fasciatis. Venter ad latera fuscus, nigricantistriolatus, medio, in ♂ sordide flavescentialbidus, in ♀ vix flavescens. Ala ut in adultis. Rectrices nigræ; laterales, utr. 2, in utroque pogonio, margine maculisque irregularibus, albidis (extus

fere 6); 3:tia, interdum, apice eodem modo picta, interdum immaculata; 4:ta tota nigra; 5:ta intus alba fasciis fere 4 nigris (ut in adultis, sed latioribus), extus maculis paucis marginalibus. Ala 120—125 mm.

♂ junior (an biennis?; Wisconsin 20 Sept. Kumlien); subsimilis nuper descripto; differt vero; gula rubrovaria; plumis juguli inferioris pallidius fusco-fulvescentibus, fasciis 2 curvatis, definite fuscis (plumæ quædam novæ, albæ, nigrofasciatæ). Rectrices ut in ♂ adulto (in nostro sp. laterales albomarginatæ, absque maculis. Ala 130 mm).

Habitat in *America septemtrionali*, orientali, a Canada, meridiem versus. Migrat; hieme in Florida, Ludovi iana, Cuba, Jamaica, apparet. — (Mus. Stockh.).

98 *b*. P. *varius* occidentalis; — P. *nuchalis* Baird. in descr. præc:s; et ibid append. 921; — Malh. in descr. pr:s; — Simillimus præcedenti, a quo differt linea alba, ab oculis ducta, postice rubra, fasciam occipitis rubram formante. *Femina* quoque hanc fasciam pallide rubram, gulamq. rubram habet. Rectrices mediæ extus tenue vel vix pallidimarginatæ; non maculatæ. Vitta malaris [interdum?] a colore rubro gulæ interrupta. — Habitat in *Nova Mexico, Oregon, Montibus petrosis.*

## TRIBUS 7. *Pici passerini*

Virentifusci, superne plerumque nitore luteo-aurea vel colore rubro insignes; ventre non rubro vel luteo picto; scapis remigum et rectricum fuscis (vel subtus albidis; non flavis). — Sp. parvæ, habitu peculiari agnoscendæ. *Rostrum* capite brevius, forte, rectum, conicum, apice cuneatum, medio leviter compressum; carinis nasalibus latissime distantibus, brevibus, continuatione ad apicem parum elevata, rotundata; indeque latera apicis minus evidenter bicarinata. Angulus menti brevis. Carina culminis alta, acuta; max. inferior subtus rotundata. — *Digitus* 4:us tertio multo longior. *Remiges* nigrofuscæ, maculis albidis, marginalibus, situ numeroque ut in Trib. 5 et 6; externæ vero plerumque obsoletæ, internæ magnæ 3 v. 4. *Rectrices* nigrofuscæ, immaculatæ, vel fasciis pallescentibus 5—7, plerumque interruptis et maculas marginales formantibus, pictæ. *Capitis latera* fuscescentia vel obscurius picta, vittis 2 ordinariis non vel parum distinctis. *Mas* pileo plus minusve rubro a *femina* differt. — Sp. omnes *Americæ tropicæ*. Gen. Dendrobates Sw. 1831 (nec Wagl. 1830); Dendropicus! Malh).

Obs. *Picus passerinus* L. S. N. XII; Lath. n:o 40; "ex ins. Dominicensi" (St. Domingo vel Dominica?). Bene in Mus. Hein. 147. Unice descriptione Brissonii (II, 75, t. 4 fig. 2) cognitus est, hodie vero ignotus. Patria forte, confusione quadam, falsa edita? Descr. Brissonii non male convenit cum variis infra descriptis (n:o 113 et seqq.); nemini vero, inter hodie cognitas, certe tribui potest. Nomen igitur, donec Picum hujus tribus ex illis insulis forsan cognoverimus, unice pro tota tribu adhibendum.

1:o Gastræo unicolore (non fasciato)

*a*) rectricibus lateralibus pallidis, fasciis fuscis, multis, angustis. (Corpus superne rubropictum, subtus pallidum).

99. PICUS *callonotus* Waterh.; — Malh. I, 129, t. 30; — Mus. Hein. 142 (Erythronerpes); — superne ruber, subtus cum gula sordide albidus, immaculatus. — Pileus *feminæ* nigrofuscus; *maris* rubromaculatus. Latera capitis pallide fusca, absque pictura distincta. Remiges fuscæ, extus rubrolimbatæ, immaculatæ; intus albidæ fasciis 3, 4 fuscis. Rectrices mediæ 6 nigrofuscæ, immaculatæ; extima pallide grisea, fasciis fere 7, angustis, integris, fuscis; proxima fusca margine externo pallido, maculis fuscis. Rostrum pallescens. Ala 70—72 mm; c. 48. — *Nova Granada, Ecuador.* (Mus. Stockh. (Guayaquil); M. Britann.).

100. PICUS *sanguinolentus* Sclater Z. Proc. 1859 p. 60; — Malh. II, 76, t. 43 bis; fuscescens, pileo cum cervice (*maris?*) rubro; dorso fuscolutescente, rubro leviter tincto. Gastræum non maculatum, nec fasciatum. Remiges intus fusco albidoque fasciatæ. (In icone cit. gastræum parum pallescens, in gutture inferiore fuscius; rectrices omnes extus pallidæ, fasciis multis fuscis). Rostrum et pedes nigri. Ala 70 mm. — *Honduras* (Sclater. Mihi ignotus; hoc vero loco disponendus videtur).

*b*) Cauda tota fusca. (Corpus supra subtusque obscure fuscum). Capnopicus! Bp.; Phæonerpes R:bch; — Mus. Hein. 139.

101. PICUS *rubidus* n; *Phl. reichenbachi* Mus. Hein. p. 141; (sed obs. P. reichenb. Malh., infra n:o 236); — ♂ supra subtusque virentifuscus, dorso rubro tincto. Plumæ pilei basi fuscæ apice rubræ. Capitis latera et gula pallidiora, vitta malari fuscescente. Remiges intus albidomaculatæ. Rectrices immaculatæ. Rostrum et pedes fusco-cornei. Ala 95 mm. — *Caracas* (Mus. Hein.).

102. PICUS *oleagineus* Licht. 1830; — Malh. II, 54, t. 57; — Mus. Hein. 140; — fulvescentifuscus dorso flavidiore; lateribus capitis albidis, vitta malari lata, fusca; plumis gulæ fuscis, apice albidis. — Alæ et cauda extus immaculatæ, sed remiges intus albomaculatæ. Pileus *maris* ruber; *feminæ* obscure fuscus. Ala circa 105 mm. — *Mexico.* (Mus. Britann et Berol.).

103. PICUS *fumigatus* Latr. d'Orb. — Malh. II, 51 t. 57. — Mus. Hein. 139; — simillimus præcedenti; differt gula cinerascente lateribusque capitis sordide griseo-fulvescentibus, vittâ malari minus definita. Pileus *maris* ruber; *feminæ* totus virentifuscus. Ala circa 105 mm. Cauda 60. — *Peru, Bolivia.* (Mus. Britann.).

104. PICUS *caboti* Malh. II, 53 t. 57; — Mus. Hein. 139; — Iterum similis præcedenti, sed minor: ala 97 mm; cauda breviore (47 mm), minus gradata. Pictura omnis ut in P. fumigato; colores vero lætiores: obscurius virentifuscus, gula cinerascens; latera capitis dilute rufa. Pileus *maris* ruber. *Femina* ignota. — *Centralamerica* (Auctt. citt.).

2:o. Gastræo fasciato:
obscure virentifusco, fasciis crebris, albidis, undulato.

*a*) rectricibus obscure fuscis, non fasciatis. — Remiges extus immaculatæ. Corpus superne rubropictum. — *Callipicus!* Bp. *Erythronerpes* R:bch.; M. Hein. 142.

105. PICUS *sanguineus* Licht. Cat. Hamb.; — Malh. II, 74 t. 60; — Mus. Hein. 143; — Obscure fuscus dorso rubro (vel griseo pallescente). — In adultis: pileus cum cervice, *maris* ruber; *feminæ* nigrofuscus striolis pallidis, in apice plumarum dilatatis, varius. Dorsum totum, cum uropygio, plumis nigrofuscis, apice longo, sed non definito, læte rubro. Tectrices et remiges extus sordidius rubræ. Latera capitis obscure fusca, scapis plumarum subpallidioribus obsolete striolata, vittæ autem ordinariæ non apparent. Gastræum totum nigrofuscum fasciis angustis, sordide albidis. Gula tamen paullo dilutior, fasciis minus distinctis. Rectrices nigricantes; laterales, utrinque 3 vel 2, intus maculis fere 2 pallescentibus, sæpius obsoletis; extimæ quoque in summo margine externo pallidius notatæ. Rectrices omnes apice obtusæ, rotundatæ. Rostrum fuscum apicem versus sensim pallescens. Pedes obscure fusci. Ala 76—80 mm. C. 37, 40; culmen rostri c:a 18. — *Guyana.* (M. Stockh.; Berol.).

*Junior* hujus primo adspectu sat dissimilis apparet. Differt enim colore fusco adhuc nigriore et defectu coloris rubri. Plumæ pilei, præsertim anterioris, apice longius griseo-pallescentes, absque striola media. Plumæ dorsi medii apice longius griseo nitidæ; dorsi antici, sicuti tectrices et remiges cubiti, extus multo minus vel obsoletius pallescunt. Latera capitis nigriora, non striolata. Fasciæ gastræi angustiores et gula vix dilutior. Rectrices omnes, etiam laterales, apice acutæ et margine externo haud pallidinotatæ. Rostrum fuscum, apice non pallidum. Ala 71, 72 mm; c. 45, 46; rostr. 17. — Duo specimina in spiritu vini asservata, e *Surinamo* accepimus; quorum alterum, *masculinum*, evidenter avis hornotina, apice rostri imperfectius cuneato plumisque juvenilibus præditum, omni rubore caret. Alterum vero, *femininum*, adultum videtur, et in omni colore pallescenti notæi: dorsi, alarum præsertimque pilei, nitorem levissimum rubrum exhibet; sed picturam pilei, formamque rectricum quales alterum habet. [An igitur habitu secundo, colore rubro, actione spiritus vini, extracto?].

106. PICUS *kirkii* Malh. 1845; — Monogr. II, 70, t. 59; — fuscus, superne luteo tinctus, tergo rubro. Striolæ quædam albidæ et maculæ rubidæ in tectricibus alarum. — Subtus virentifuscus, albidofasciatus, gula lateribusque capitis fusco albidoque variis. Pileus *feminæ* fuscus; *maris* fuscus plumis apice rubris. Cervix lutea. Dorsum medium leviter rubrotinctum. Rectrices laterales intus obsolete pallescentifasciatæ. Ala 91 mm (♂ Mus. Brit.; — 95 Malh.). — *Trinidad, Tobago.*

107. PICUS *ceciliæ* Malh. 1849; — Mon. II, 71, t. 60; — Similis præcedenti, sed paullo minor, striolis tectricum nullis albidis; gula alba, leviter fuscostriolata. Reliqua ut in descr. præc:s. Ala 85 mm (♀ Mus. Berol.; — 95 Malh.). *Nova Granada; Ecuador.*

*b*) Rectricibus fuscis, evidentius pallidifasciatis, vel in utroque margine maculatis. — (Sp. omnes superne fuscovirentes, luteo micantes, interdum, præterea paullum rubrotinctæ. Tectrices alarum, præsertim mediæ, in plerisque sp., ante apicem scapi, macula vel striola parva, albida, ornatæ). Campias Mus. Hein. *).

*) Cervice luteo-aurea.

108. PICUS *albipes* n. sp. rostro albo, apice (ad $\frac{1}{4}$) nigricante; pedibus (siccatis) albidis, unguibus apice fuscis (in omnibus sequentibus rostri pars maxima et pedes toti fusci). — *Femina:* pileus totus cum loris obscure rufofuscus, striolis scaporum tenuibus, pallidis. Torques cervicis ad latera colli lætius flavus; postice obscurior, flavidostriolatus. Corpus superne cum alis lutescenti-micans; uropygium concolor, striolis minutis flavidioribus. Gastræum rufescentifuscum, crebre, sordide virentialbido-fasciatum; gula maculis majoribus, fuscis, crebre varia (non fasciata). Latera capitis fusca, pallescentistriolata, vitta superiore, aliaque inferiore, pallidioribus. Alarum tectrices mediæ striolis paucis, parvis, flavoalbidis. Remiges primariæ 3—6 extus, pone incisuras, maculis fere 3 parvis, pallidis, marginalibus; basi quoque, omnesque reliquæ, extus, obsolete flavidius submaculatæ. Rectrices obscure fuscæ, maculis utriusque marginis virentifulvis: in extima 5, definitioribus, in fascias medio infuscatas confluentibus; proxima maculis 4, reliquæ tantum 3, parvis, marginalibus, obscuris, minus definitis. Ala 96 mm. Rostrum paullo validius quam in affinibus apparet, culmine 20 mm. — *Mas* mihi ignotus. — *Femina* unica, in urbe *Rio Janeiro*, cum collectione majore avium brasilianarum vulgarium, emta.

109. PICUS *affinis* Swains Z. Ill. (Descr. nec fig.) 1822; — Wagl. Syst. sp. 61; — Malh. II, 56, t. 61. — *P. maculifrons* Spix Bras. I, 62 (1824); — Mus. Hein. 148. — *Mas* vetus: Dorsum læte lutescenti-lavatum, obsolete fusco-subfasciatum tenueque flavostriolatum: pluma enim singula apice fasciaque media flavidis, fascia interjecta basique fuscioribus; scapo tenui, apice flavo, in fascia media albido, in partibus fuscis concolore. Uropygium distinctius fasciatum. Ala quoque tota extus obsolete fasciata. Tectrices mediæ striolà scapi tenuissima, flavida, minus tamen elucente (maculis vero nullis). — Remiges primariæ 3—6 extus maculis 4 (vel 3) albidis. — Rectrices laterales fasciis integris, mediæ maculis marginalibus, pallidis. — Pileus (♂) antice fuscus, pallidistriolatus, postice ruber. — Lora fulva. Latera capitis fusca, tenue pallidistriata, vitta inferiore pallida, fuscovaria; superiore, ad occiput ducta, flavescente. Gula albida fuscostriolata; reliquum gastræum

*) Species hujus subdivisionis, inter se simillimæ, iterum revidendæ et determinandæ sunt. Numerosæ videntur et hodie adhuc, a quovis descriptore, numero augentur; omnes vero sunt incolæ Americæ merid. calidioris (ad 35° lat.). Ipse omnes cognitas haud vidi, non vero paucas in variis muscis descripsi. Deficiente vero sæpe aves ipsas comparandi facultate, descriptiones ad rem illustrandam non sufficiunt. Nomina igitur multa, h. l. tantum ex characteribus, in libris datis, distinxi. Hi vero characteres, ubi copia detur, ulterius examinandi sunt; nam stigmata tectricum, maculæ remigum externæ, fasciæ rectricum et cet., pro vario statu sexus, ætatis æstatisque, variabiles videntur.

fasciatum. Cervix, præsertim ad latera, late, nitide lutea. Rostrum fuscum, subtus pallescens. Ala 96 mm. *Brasilia.* (Mus. Berol.).

*Mas* junior (plumis evidenter junioris, rostro vero perfecte cuneato) præter pileum egregie cum descr. præcedente convenit. Pileus totus plumis cinereonigris, apice rubro, longo, angusto, in fronte et vertice fundum obscurum non tegente; scapo medio nitido. — Rostri culmen 19 mm; ala 94. — Rectrices *omnes acutæ* (conf. P. sanguineum jun. n:o 105): laterales fasciis pallidis 7; mediæ maculis utrinque 5. (In ♂ vetere rectrices propius examinare neglexi; sed verisimiliter cum reliquis affinibus convenit: rectricibus lateralibus 5- vel fere 6-fasciatis, apice rotundatis; mediis 4 vel 3-fasciatis). — *Brasilia,* Mus. Stockh.

*Femina* senior, e *Brasilia,* Mus. Stockh. A maribus descriptis differt colore omni paullo minus læto, cervice potius fulvescente. Tectrices alarum maculis triangularibus, albidis, latis! Rostrum majus: culmine 22 mm; obscure fuscum, subtus parum pallidius. (An dist. sp.? nam femina in Mus. Berol. et in descr. Malherbei tectrices ut in mare pictas habere dicitur). Pileus totus rufescenti nigricans, striolis rhachidum fulvoalbidis, angustis, apice paullum dilatatis, pictus. Præterea omnis descriptio maris adulti, nuper data, cum hac femina convenit. Rectrices laterales apice rotundatæ, fasciis fere 6; mediæ maculis utrinque 3. Ala 92 mm.

110. PICUS *selysii* Malh. II, 67, t. 62; — superne lute micans, plumis dorsi stria scapali tenui, lutescente et (in ♂♀ senioribus) evidentius rubrotinctis; fasciis vero nullis. — Tectrices alarum macula ante apicem pallida: in juniore majore, triangulari, albida; in seniore subrotundata, paullo minore, rubrotincta et annulo fuscorubido cincta, (tectrices vero præterea non rubrolimbatæ). Remiges maximæ (3—6), pone incisuras, maculis marginalibus parvis, pallidis, circiter duabus. Rectrices omnes nigrofuscæ maculis utriusque marginis pallidis (externis sæpe obsoletis. In ♂ vet.: laterales maculis 5 apiceque subrotundato, mediæ maculis 3, pallescentibus). Pileus *maris* postice ruber, medio anticeque nigricans apicibus rubris, brevibus, maculatus; vel hi apices interdum, in fronte, detriti; — *feminæ* totus nigrofuscus. Lora fulva; latera capitis tota læte fulvescentia, posterius fuscostriata, (vittis nullis evidentibus); cervix, præsertim lateribus, nitide luteofulva. Gula fulvescens, leviter fuscomaculata; gastræum reliquum, ut in ceteris fasciatum. Ala circa 92 mm. *Brasilia* (Mus. Sthm.).

Obs. *Campias affinis* Mus. Hein 151 (nomine ex Swains. Z. Ill. II, tab. 78 [non ex descr.] nec Wagl. neque Malh.) — nuper descripto peraffinis videtur; differt autem (forte lapsu calami?) "remigibus primariis extus unicoloribus, intus tantummodo maculatis", et "loris etc. flavis".

111. PICUS *hæmatostigma* Natt.; — Malh. II, 72 t. 61. — P. *passerinus* Tschudi Fn. Per. 265. — Tectrices alarum limbo lato rubro striolaque tenui scapi, ante apicem rubidoalbi, ornatæ. Plumæ quædam dorsi apice rubrotinctæ. Remiges primariæ quædam extus maculis fere 2 pallidis. Rectrices omnes maculis utriusque marginis pallidis. Ceterum præcedenti similis videtur; cervice similiter lutea; pileo ♂♀ ut illius. Ala 95 mm. — *Brasilia* (et, auct. Tschudii, *Peru,* sine dubio orientalis, Brasiliæ confinis). Malh.

Obs. 1. *Campias hilaris* Mus. Hein. 154, ex *Peru*, eadem sp. habetur, ac P. passerinus Tschudii, nuper memoratus, ideoque eadem foret, ac P. hæmatostigma. Descriptio quoque in plerisque cum eo convenit; differt vero, quod striolam tectricum rubroalbidam non memorat, rectricesque "supra distinctius, subtus distinctissime fulvescenti-fasciatas" dicit.

Obs. 2. Huic etiam affinis videtur *Campias ruficeps* Mus. Hein. 153 (an etiam *P. ruficeps* Spixii, cui cervix obscura: "collari minus flavescenti quam virescenti"). In Mus. Hein. idem habetur ac P. hæmatostigma Malh., sed. descr. paullulum a descr. Malh. differt, præsertimque descr. tectricum aliena videtur. Dubia igitur manet hæc sp. donec melius definiatur.

112. PICUS *sedulus* Mus. Hein. 153 (Campias); — *Femina:* remigibus primariis extus immaculatis. Tectrices mediæ maculis ordinariis triangularibus, albidis, interdum rubido lavatis, ornatæ. Rectrices omnes margine utroque pallidimaculatæ. Pileus "olivaceo-fuscescentebrunneus". In ceteris præcedentibus similis videtur, dorsum vero non rubrum dicitur; neque dubitarem, hanc esse feminam juniorem Pici selysii, nisi remiges extus immaculatæ describerentur. Ala 92 mm. — *Guyana* (Mus. Hein.).

113. PICUS *cassinii* Malh. II, 55, t. 58; — *mas:* remigibus primariis extus immaculatis? Tectrices alarum pleræque striola scapi angusta, flavida. Rectrices omnes utroque margine pallescentimaculatæ. Latera capitis fuscescentia, pallidivaria, vitta inferiore albidiore, supra vittam malarem fuscomaculatam ducta. Reliqua ut in plerisque: cervix lutea; dorsum luteolavatum, etc. Ala 98 mm. — *America merid.* loco inc. (Malh.).

114. PICUS *kirtlandi* Malh. II, 54, t. 58; — *mas:* "tectricibus alarum immaculatis". "In reliquis similis P. cassinii", fasciæ tamen gastræi nigriores dicuntur. — *Brasilia.* Femina ignota. (Malh.).

**) Cervix colore dorsi tincta.

115. PICUS *tephrodops* Wagl. Syst. sp. 48; — Mus. Hein. 145. — *P. passerinus* Malh. II, 59, t. 62; — rostro fulvescentipallido, subpellucido, maxilla inferiore basi infuscata. (R. in seqventibus obscurius). — Minimus Picorum: ala 75 mm [79, Mh. Lapsu 2″ 1‴ (= 54), Mus. Hein.]. Corpus superne fortius luteo-micans, striolis scaporum apicalibus flavidioribus et, in ♂ vetere, levissime rubro tinctis. (Scapi dorsales striola altera, media, albida, sed plumis obtecta, notatæ. Fasciæ nullæ apparent). Alarum tectrices, paullo obscuriores quam dorsum et pennæ cubiti, maculis parvis, sagittatis, albidis (in senioribus levissime rubidis) ornatæ. Remiges primariæ, pone incisuras, margine externo tenuissimo, pallido; in juniore integro; in vetere, maculatim interrupto, sed non dilatato; neque extus maculæ veræ adsunt. Gastræum totum, cum gula crissoque, obscure virentifuscum, tenue albidofasciatum. Capitis latera cum loris fuscescentia, unicoloria. Pileus *maris* totus ruber; *feminæ* totus virentifuscus, antice lateribusque tenue pallescentistriolatus. Rectrices omnes obscure fuscæ, utroque margine maculis fere 4 parvis, pallescentibus;

extus minimis et in pennis mediis junioris feminæque vix apparentibus. — *Guyana* (Mus. Stockh.).

116. PICUS *tænionotus* R:bch Handb. 354; — Malh. II, 58; — dorso toto alisque extus lætius luteo-micantibus, [obsoletius, fuscius] fasciatis. — Gastræum totum fuscovirens, tenue flavoalbido fasciatum. Tectricum maculæ (ordin.) flavoalbidæ; remiges primariæ, subtus, utrinque albidomaculatæ. Capitis latera et frons [lora?] virentiflavida. Pileus *maris* totus ruber. (♀ ignota). Rectrices nigrofuscæ: extima fasciis 4—5 integris, angustis, apiceque pallidis. [Mediæ?]. Rostrum pedesque nigrocinerei. Ala (3″ 2‴=) 85 mm. — *Brasilia interior* (R:bch. l. c.).

Obs. *C. tænionotus* Mus. Hein. 149, (e patria ignota) — a descr. Reichenbachii paullum differt: ♂ "supra flavido-virescente-olivaceus maculis scapalibus pallidioribus fasciiformibus plus minusve obsoletis varius". Tectricum maculæ scapales pallidæ. Remiges primariæ, margine externo, apicem versus, maculis longitudinalibus, paucis, obsoletis, pallescentibus. Lora fulvescentialbida. Pileus ruber, fronte brunnea tenue pallido striolata. Rectrices fuscæ; laterales, utrinque 2, maculis marginalibus, pallescentibus, etc. ut nuper descriptæ, pictæ. Ala 89 mm (3″ 5‴). — ♀ ignota.

117. PICUS *agilis* Mus. Hein. 147 (Campias); — supra luteolavatus; tectricum maculæ triangulares, albidæ; remiges primariæ extus pallidimaculatæ; rectrices omnes margine utroque pallescentimaculatæ: mediæ limbo basim versus flavovirenti maculisque obsoletis. Pileus *maris* ruber: *feminæ* totus virentifuscus maculis minutis, subobsoletis, albidis varius. Latera capitis virentifuscescentia, vitta superciliari vittaque malari obsoletis, pallescentibus. "Rostrum fuscescente corneum, basi max. inf:s vix brunnescentiore". Ala 85 mm. — *Amer. merid. interior* (Mus. Hein. l. c.).

118. PICUS *olivinus* Natt. — Malh. II, 65, t. 59; — Mus. Hein. 140 (Phæonerpes; descr. ex. Malh.); superne obscurior [vix luteonicans: "lavé de brun"]; subtus virentifuscus, tenuissime albidofasciatus. Remiges primariæ extus maculis parvis albidis. Maculæ tectricum ordinariæ triangulares, flavidæ. Rectrices omnes nigrofuscæ, pallescenti fasciatæ. Pileus *maris* postice ruber, medio anticeque cinereofuscescens, striolis fulvoalbidis, parvis; *feminæ* totus fuscovirens, tenuissime, obsolete pallescentistriolatus. Ala 94 mm. — Hab. in *Brasilia* et *Regione platensi*. (Malh.).

119. PICUS *murinus* Natt. — Malh. 1845, et Monogr. II, 62, t. 58; — superne dilutius virentifuscus, non luteo micans; subtus pallidius fuscus, griseo-albido-fasciatus. Remiges primariæ extus maculis majoribus, albidis. [Tectrices non descriptæ: veris. immaculatæ]. Rectrices omnes nigricantes, fasciis pallidioribus (in icone cit. interruptis). Pileus *maris* ruber; *feminæ* fuscus, tenue, pallide striolatus. Ala 95 mm. — *Brasilia interior*. (Malh.).

120. PICUS *nigriceps* d'Orb. Voy. — Malh. II, 68, t. 59. — *C. malherbei* Mus. Hein 155 (ex Malh. descr. — Obs. Nomen *nigriceps*,

ob colorem pilei feminæ nigrum, in hac tribu huic peculiarem, datum, etsi non optimum, non tamen rejiciendum). — Superne fuscovirens, dorso antico leviter rubrotincto. Subtus obscure fuscus, albidofasciatus, gula pallidiore, fuscovaria. Alarum tectrices immaculatæ. Remiges primariæ extus maculis ferrugineis, scapis subtus albis. Rectrices obscure fuscæ, limbo virenti, subtus virescentes; omnes fasciis interruptis pallidis. Pileus *maris* totus ruber; *feminæ* purius niger. Capitis latera pallida, vitta postoculari lata, fuscescente. Ala 103 mm. — *Bolivia* (Malh.).

3:o. Gastræo albidomaculato.

Maxime affines præcedentibus (cervice non lutea), a quibus vix differunt nisi fasciis gastræi interruptis et in maculas abbreviatis.

121. PICUS *spilogaster* Wagl. Syst. n:o 59 (descr. ex Azara); — Malh. II p. 62 (fig. nulla); — *P. adspersus* Natt. Malh. p. 64, t. 60. — Mus. Hein. 156 (Campias). — Fuscovirens; superne parum luteomicans, maculis flavidis, transversis, non definitis; subtus maculis plumarum per paria dispositis, albidis, rotundatis, definitis, pictus. — Pileus *maris* fuscus apicibus plumarum rubris; *feminæ* obscure fuscus, albidostriolatus. Plumæ nasales rufescentes. Latera capitis et gula albida, fuscostriolata, vitta postoculari et malari fuscis, albidovariis. Abdomen et crissum fasciata, nec maculata. Alarum tectrices maculis transversis albidis; remiges majores extus maculis fere 8, albidis, notatæ. Rectrices omnes nigrofuscæ, fasciis fere 6 fulvoalbidis, latis, ad scapum interruptis. Rostrum fuscescens. Ala 100. — *Brasilia merid.*, *Regio platensis*. (Mus. Berol. M. Hein.).

## TRIBUS 8. *Pici fulviscapi*.

Scapis remigum et rectricum flavis. — Color fuscescens, maculatus, alis caudaque albidomaculatis, maculis remigum et rectricum marginalibus. Rectrices breviores, apice fulvescentes. Venter nulla parte rubens. Vitta *submalaris*, nigra vel fusca, ab angulo infimo baseos rostri (nec ab ang. oris) orta, lata, ad latera gutturis ducta. Vitta postocularis minor vel obsoleta. Rostrum ut in P. medio (Tr. 6) formatum, vel majus. Digitus 4:tus tertio major. — Sp. africanæ.

1:o. Majores, fusci, (supra subtusque transversim albido-undulati). Scapi remigum et rectricum in senioribus, supra subtusque læte flavi. Digitus 4:tus tertio evidenter major. Rostrum capite fere longius, validum. Maculæ remigum utrinsque marginis 10 v 9; externæ parvæ, angustæ; sed in primariis maximis, apex (pro maculis fere 3 vel 4 pluribus) immaculatus. Rectricum lineolæ marginales flavoalbidæ, utrinque 10. (Thripias Mus. Hein. p. 121).

122. PICUS *namaquus* Licht. Cat. Hamb. — Mus. Hein. 121 (Thripias). — *P. mystaceus* Vieill. — *P. biarmicus!* Cuv. Temm.; Malh. I, 193, t. 42; — subvirentifuscus, supra subtusque striolis transversis flavoalbidis: crebris, angustis, undulatis. Guttur infimum ventri concolor. — Capitis latera et gula alba, vitta submalari et v. postoculari pure nigris: illà longa, latissima, a pari distincta; hac breviore et paullo angustiore, a vitta malari discreta. Pileus cum cervice niger, antice, in utroque sexu, alboguttatus; in *mare,* plaga media, magna, rubra. Rectrices fuscæ, subtus flavomicantes, utrinque striolis marginalibus flavoalbidis; scapis utrinque flavissimis. ♂: ala 128 mm; c. 67; r. culmen 37. — Juv. anni striis corporis sordide albis, non flavidis; scapis remigum superne fuscis; rostro multo breviore. — Habitat in *Africa meridionali,* ab ora marina, ultra tropicum usque (M. Sthm.), et circa flumen Zambesi (Kirk, Ibis 1864).

123. PICUS *schoënsis* Rüpp. Mus. Senk. 1842; — Malh. I, 195, t. 42; — Mus. Hein. p. 121: — Simillimus præcedenti; differt vittà postoculari longiore, postice cum v. malari late conjuncta, et gutture infimo c. pectore antico nigriore, punctis pallidis notato. Præcedente paullulo major et rostro adhuc validiore instructus (Rüpp. Malh.). — Hab. in *Abyssinia* meridionali.

123 *b.* PICUS *africanus* J. E. Gray, Zool. Misc., h. l. enumerandus videtur, etsi hodie incertus vel non satis cognitus; — (Malh. I, 205, et Mus. Hein. 117; ex opere Grayi). — Superne lætius fuscovirens, luteomicans; pileo antice nigro, occipite et uropygio rubris; subtus virentifuscus, albomaculatus. Latera capitis alba vittis 2 ordinariis nigris (ut in 2 præcedentibus sitis, sed superior usque ab angulo oris orta). Alæ albidomaculatæ; cauda fusca. Ala ($4\frac{1}{2}$ p. =) 113 mm. Hab. in *Sierra Leone.* — (Descriptionem ex opere Malherbii desumsi; opus enim Grayi citatum, cujus aditus per mercaturam non patet, hucusque mihi ignotum est).

Ut Femina et Junior hujus describitur avis ei similis, sed uropygio non rubro: *Dendropicus africanus* Cassin, Philad. Proc. 1863, 322, ex Afr. occid. *sub æquatore:* Cap Lopez et fluvio Camma, lat. merid. 1—2°. — Pileus nigrofuscus, totus. Latera capitis ut præcedentis. Corpus supra fuscoviride, fasciolis remigum cubitalium paucis, virentipallidis, maculisque tectricum paucis albis. Remiges intus albomaculatæ; primariæ, extus, maculis fere 4, parvis, albidis. Gastræum viridifuscescens, maculis crebris, rotundatis albis, in lateribus crissoque transversis, fascias formantibus. Cauda nigrofusca. Max. inferior albida. Ala ($4\frac{1}{2}$ p.) 113 mm. C. ($3\frac{1}{4}$) 81 mm (ideo multo longior quam in reliquis hujus Tribus. Proportio digitorum?). — *Junior,* Mas? plumis pilei paucis, inspersis, flavis; uropygio flavoviridi. Ala ($4\frac{1}{2}$ p.) 113 mm.

2:o. Minores, subtus albidi, nigrofusco-maculati,
scapis pennarum utrinque flavis. — Digitus 4:us tertio parum major. Rostrum capite brevius. Maculæ pennarum paullo latiores, flavescentes; remigum 7, et in pennis maximis 8: ultima juxta apicem sita; rectricum utrinque 7 vel 8. — (Ipoctonus Mus. Hein. 114).

124. PICUS *cardinalis* Gm. (ex. Sonn. Voy. p. 72, t. 35; ubi tamen major, æqualis P. viridi, et ex ins. Luzon dicitur, sed descriptio

evidenter hujus): — Lath. sp. 23; — Mus. Hein. 119. — P. *fulviscapus* Licht. Verz. 1823 p. 11; — Wagl. Syst. n:o 45. — Fuscus, dorso albidofasciato; subtus sordide albidus, longitudinaliter nigromaculatus: maculis pectoris antici majusculis; hypochondriis crissoque nigrofasciatis. — Maculæ tectricum latiores albæ; remigum et rectricum vix vel parum flavotinctæ. Tectrices caudales, in mare, sordide flavescentes, non rúbidotinctæ. — Vitta submalaris longa, lata, nigricans. Gula et latera capitis sordide alba, vitta postoculari nulla, vel (in junioribus) striolis paucis, sub-obtectis, nigris notata; sed regio auris colore sordidior. Pileus antice fuscescens; in habitu trito pallidus; postice, in *mare* ruber, in *femina* niger. Ala 95 mm. — *Juv.* paullo obscurior, maculis pectoris majoribus: Alter, Januario, vertice medio rubro-mixto; ala 86 mm; — alter, martio, albedine pectoris dorsique levissime flavidotincto; pileo non rubromixto; ala 88 mm. Scapi utriusque supra subtusque flavi. (Mus. Sthm.). — Habitat in *Africa maxime meridionali:* intra limites coloniæ capensis.

125? PICUS *hartlaubi* Malh. I, 201, t. 44; — Mus. Hein. 115; — simillimus præcedenti, a quo differt pectore levissime, fasciisq. dorsi paullo evidentius flavotinctis. Tectrices caudales lætius flavidæ, apice leviter rubrotinctæ (etiam in juniore). Maculæ quoque pectoris paullo, sed parum, angustiores apparent. Magnitudine omnibusque reliquis exacte cum præcedente convenit, nec aliter nisi varietas ejus localis haberi potest. Hoc vero loco numero distinguuntur, quia idem in sequentibus, nobis minus cognitis, sed, ut videtur, vix melius distinctis, necesse fiat. — Habitat in *Caffraria,* a Portu Natal, usque intra plagam tropicalem. — Specimen ex Damara (♂ vetus, d. 27 Apr. 1854, prope Walfishbay, sub tropico, a J. Wahlberg occisus) differt magnitudine paullo minore rostro vero paullo longiore (ala 90; culmen rostri 22 mm), et rectricibus 2 mediis, ante mutationem decoloratis, pogonio externo sordide griseoflavido. (Mus. Sthm. specimina multa a Wahlbergio, nomine P. fulviscapi, allata). A Kirkio circa fl. Zambesi frequens dicitur (Ibis 1864).

126. PICUS *hemprichi* Ehrenb. Symb.; — Rüpp. Syst. Üb. 88, t. 35; — Malh. I, 199, t. 43; — Mus. Hein. 114; — fuscus, gastræo fasciisque dorsi alarumque sordide albidis (nec flavescentibus); gastræo (ut præcedentium) longitudinaliter, postice transversim, striolato; tectricibus caudæ apicem versus rubris; vitta submalari dilutius fusca, postoculari obsoleta. — Iterum simillimus præcedentibus, sed minor: ala 80 mm. Pictura eorum omnino, colore, ut nuper descripsimus leviter mutato. Diff. sexus ut in illis. Frons non maculata, sed, ut in præcedentibus, plumis ante mutationem decoloribus, apice sæpe pallidis. — In *junioribus* partes nigricantes, eo tempore valde decolores, grisescentes. (Rüpp.). — Hab. in Kordofan et parte humiliore (maritima) abyssiniæ.

127. PICUS *lafresnayi* Malh. I, 204, t. 44; — Mus. Hein. 116; — dorso fuscovirente, non fasciato; uropygio flavescente, plumis posticis apice rubidis. Gastræum flavoalbidum, parcius fuscostriolatum, maculis crissi paucis, transversis. Gula et latera capitis alba, vitta submalari fusca; postoculari obsoletiore. Alæ fuscæ, maculis externis flavo-albidis. Rectrices virenti-fuscæ, maculis flavis, scapis flavissimis. Pileus *maris* ut

in præcedentibus. Ala 85 mm. — *Femina* vix descripta videtur. — Hab. in *Africa occidentali:* Senegal—Gabon.

128. PICUS *lepidus* Mus. Hein. 118 (Ipoctonus); — dorso fuscovirente, immaculato; uropygio paullo flavidiore. Subtus virentialbidus, fuscostriolatus, striolis crissi macularibus, obsoletioribus. Capitis latera alba, fuscovaria, vitta submalari fusca, elongata; postoculari latiore, obsoletiore. Alæ et cauda virentifuscæ, maculis sordide flavidoalbidis scapisque supra subtusque flavis. Pileus fuscescens, dilutior; in *mare,* ut in reliquis, pone oculos ruber. Ala 81 mm. — Hab. in *Abyssinia* (Mus. Hein. ♂♀. A præcedente parum differre videtur).

129. PICUS *abyssinicus* Stanley, Salts Voy. 1816; — Mus. Hein. 116 (Ipoct.); — P. *desmursi* Malh. 1849; — Mon. Pic. I, 202, t. 42; — dorso fuscoflavescente, immaculato; uropygio tergoque (utr. sexus) rubris. Vitta malaris et v. postocularis definitæ, obscurius fuscæ; hæc paullo latior et brevior quam alterâ. Gastræum flavoalbidum, fuscostriolatum. Alæ fuscæ, fulvoalbido-fasciatæ; rectrices fuscæ, maculis superne fulvis, subtus flavis. Scapi superne fuscescentes, subtus flavi. Pileus *maris* et *feminæ* ut in præcedentibus, sed antice pallidior. Ala 95—100 mm. — Hab. in *Abyssinia.* (Malh.)

130. PICUS *minutus* Temm. Col. 197; — Malh. I, 208, t. 45; — Mus. Hein. 114; — griseus, dorso minus definite fusco albidoque fasciato; gastræo sordide albido, maculis fuscis, rotundatis vario, uropygio rubro. — Alæ et cauda fuscæ, albidomaculatæ, scapis flavis. Vitta malaris elongata, fusca; postocularis obsoleta. Pileus cinerascens; *maris* postice ruber. Ala 80 mm. — Hab. in *Africa occidentali* (Malh.; Mus. Leydense).

## TRIBUS 5. *Pici menstrui.*

Superne fuscolutescentes, uropygio rubro, plaga ventris medii rubra vel flavescente, indefinita. Scapi nigrofusci (interdum subtus pallidi, nec flavi), rectricum apice concolores (nigri). — Rostrum ut in Tr. præcedente et in P. medio formatum; longius, capiti fere æquale. — Digitus 4:tus tertio evidenter longior. Cauda mediocris: æqualis $\frac{2}{3}$ alæ, brevius gradata sed pennæ longius acutæ, apice non pallescentes. Dorsum et gastræum non vel obsolete variegata. Pennæ alarum caudæque, cum variegatæ sunt, maculis marginalibus, numerosis, pictæ, ut in sp. majoribus Tr. præcedentis: rectrices sæpe omnino immaculatæ sed maculæ, dum adsunt, utriusque marginis 10, sæpe in fascias confluentes. Remiges cubiti in utroque margine 8 v. 9-maculatæ; sæpe tamen apice extusque immaculatæ; primariæ semper apice longo, immaculato. — Differentia sexus omnibus eadem: pileo *maris,* præter frontem, rubro; *feminæ* non rubro. — Sp. tantum Africanæ, mediæ magnitudinis. (Gen. Scolecotheres R:bch. Handb. Spec. Orn. 1854; — Mesopicos! Malh. pars).

1:o. Capite nigro alboque picto (Camponomus Mus. Hein. 137).

131. PICUS *pyrrhogaster* Malh. R. Z. 1845, 399; — Mon. Pic. II, 41, t. 58; — Mus. Hein. 137 (Campon.); — Supra fuscus, luteotinctus, uropygio rubro; subtus albus, transversim nigromaculatus, vitta longitudinali, media, rubra. Gula et latera capitis alba, vitta malari vittaque postoculari elongatis, nigris, subæqualibus. Pileus *feminæ* totus nigricans; *maris* ruber, antice posticeque nigricans. Alæ extus dorso concolores. obsoletius pallescenti maculatæ. Remiges intus fuscæ, albomaculatæ. Rectrices nigricantes, immaculatæ. Ala 117 mm. C. 74. — Hab. in *Afr. occidentali:* Sierra Leone (♂ Mus. Upsal. Afzel.); Ashantee (♂♀, Mus. Leyd.).

2:o. Capite cinereo, absque vittis ordinariis (Scolecotheres M. Hein. l. c.).

132. PICUS *menstruus* Scop. Delic.; — Mus. Hein. 134 (Scolec.). — *P. capensis* Gm. (ex Buff. et Pl. Enl. 786, 2); — Lth. 37; — Malh. II, 42, t. 62. — *P. caniceps* Wagl. Syst. 46; — Obscurior, alis extus immaculatis. — Obscurius fuscus, luteo-micans. præsertim in dorso et gutture inferiore. Latera capitis cum gula obscure cinerea immaculata; pileo *maris* rubro antice fuscocinereo, *feminæ* toto obscure cinereo. Uropygium late rubrum. Plaga ventris media, indeterminata, in ♂ seniore rubra; in juniore et ♀ lutescens, levius rubidotincta; in ♀ juniore obsoleta, vix lutescens. Remiges intus albomaculatæ. Cauda tota nigricans, immaculata, pennis lateralibus subtus pallescenti-micantibus. Rostrum nigrofuscum, max. inf. in senioribus, ♂♀, albida, apice nigricante. Ala, ♂ 110 mm.; ♀ 108; c. 76. — Habitat in *Afr. meridionali:* in Colonia capensi (juxta urbem fr.) et in Caffraria, ad Portum Natal. Specimina numerosa M. Sthm. a J. Wahlberg aliisque allata. (Specimina Caffra paullo minora: ala ♂ 105, ♀ 102).

Obs. *Dendrobates immaculatus* Sw. W. Afr. II, 152; — Malh. II, 47; — M. Hein. 135; — præter dubium idem est, ac præcedens, neque in Afr. occidentali inventus, sed ex specimine capensi (majore) descriptus, de quo ipse auctor l. c. dicit, se patriam ejus ignorare. Eadem avis, olim quoque, a Sonneratio, ex insula Luzon allata dicebatur, unde oritur *P. manillensis* Gm., Lth. 31.

133. PICUS *goertan* Gm. (Pl. Enl. 320); Lth. 32; — pallidior, alis extus flavoalbidomaculatis. — Caput et gastræum pallide cinerea pileo *maris* rubro, (ante oculos cinereo). Crissum parum distincte, hypochondria obsolete, fusco albidoque, crebre et transversim variegata, plaga ventris media flavescente vel rubida. Dorsum fuscolutescens, uropygio late rubro. Alæ fuscæ, extus flavoalbido-, intus albo-maculatæ. Pennæ cubiti extus maculis 8: ultima ad apicem sita. Rostrum et pedes toti fusci. — Hujus speciei stirpes, vel varietates geographicæ, duæ cognitæ sunt, quas vero potius sub uno nomine conjungendas censeo quia specimina non semper, ad unam alteramve, nisi ex cognitione patriæ, certo referri posse videntur.

*a*) Orientalis; *P. spodocephalus* Bp. Csp. I, 125; — Malh. II, 49, t. 63; — Mus. Hein. 137. — ♂♀, Seniores: plaga ventrali rubra; ala circiter 110 mm.; — Juniores: plaga ventrali lutescente vel obsoleta; rectricibus mediis intus albostriolatis.

Mas senior: totus paullo saturatius coloratus, quam femina et junior, gastræo tantum sub alis obsolete albidovario; ventre medio late, obsoletius flavescentitincto, plumis mediis apice indeterminate rubris. Dorsum omni signo fasciarum caret. Alæ extus virentifuscæ tectricibus parvis mediisque immaculatis. Majores vero et remiges omnes extus maculis parvis, sordide flavoalbidis ornatæ. Rectrices nigricantes; extima striolis vel punctis albidis: marginis externi 10; interni, ad apicem sitis, 2 vel 3. Penna 2:da margine externo plus minusve albido-punctata vel (in veteribus) immaculata.

Femina senior: pileo toto pallide cinereo. Venter totus obsolete fusco pallidoque fasciatus, plaga media, ut in mare, rubra. Dorsum et alæ ut in mare; maculæ tamen alarum paullo majores et albidiores; non vero plures. Rectrices nigricantes. Laterales, utrinque 2, striis ab utroque margine transversis, fascias fere 10 angustas, interruptas formantibus. Penna tertia extus albidopunctata; reliquæ, extus, vestigiis obsoletis fasciarum; media intus striolis 3 v. 4 albis.

Mas junior: pileo, ut in seniore, rubro; plaga ventrali flavescente vel obsoleta, non rubra. Venter obsoletius fasciatus quam in femina; dorsum vix præbet vestigia fasciarum. Alæ ut in ♀ seniore, sed maculæ adhuc latiores, et in pennis cubiti ultimis fascias integras formantes. Rectrices ut in ♀ seniore; mediæ tamen extus quoque maculis paucis albidis notatæ.

Femina junior: tota reliquis pallidior, dorso evidentius fusco pallidoque fasciato. Venter ut in seniore fasciatus, plaga media lutescente. Alarum maculæ latiores, pallidiores; in ala complicata fascias integras, albidas formantes. Etiam tectrices mediæ et proximæ minores late, definite albidofasciatæ. Rectrices ut in ♂ juniore; sed maculæ lateralium latiores, fascias integras, flavoalbidas formantes.

Habitat circa *Nilum album* (Kordofan, Sennaar) freqvens, unde specimina numerosa nobis attulit Prof. Hedenborg), et in *Abyssinia*.

*b*) Occidentalis, *P. goertan* Gm. — Malh. II, 45, t. 63; — Hartl. Orn. West-afr. 179; — Mus. Hein. 136; — senior et junior: plaga ventrali flevescente vel obsoleta (nec rubra); rectricibus mediis immaculatis, nigrofuscis. — Ala senioris, utr. sexus, 107; ♀ junioris 103 mm. — Seniores, ut præcedentis, paullo obscurius cinerei; juniores paullo lætius flavidoinduti. Minus maculati videntur: dorsum fasciis omnino caret; gastræum, etiam feminæ junioris, non magis variegatum quam in ♂ adulto præcedentis. Alarum maculæ, in vario statu sexus ætatisque, paullo minores quam in præcedente, nec unquam fascias formare videntur (aves tamen hornotinas non vidi). Tectrices magnæ in mare immaculatæ; in femina, extus, obsolete fusco-pallescenti maculatæ. Eædem et mediæ, in ♀ juniore, maculis parvis, albidis; minores vero semper immaculatæ. Rectrices 6 mediæ immaculatæ (in ♂, ♀ et juniore. Hartlaub vero l. c. in ♀ solum par medium immaculatum, reliquas omnes margine albopunctatas, describit). Laterales, utrinque 2, ut in mare præcedentis, margine albostriolatæ (♂ senior et ♀ junior); quædum vero extimam solam striolatam, secundam vero margine vix nisi obsoletissime, pallidius fusco-punctatam, habent (♀ senior, ala 107 mm). — Habitat in *Senegambia* Africæ occidentalis.

Obs. *P. poliocephalus* Hartl. Orn. W. Afr. 179 (poicephalus Sw. W. Afr.), paullo minor (ala $3\frac{3}{4}$ p. = 98 mm), "rectricibus binis externis margine vix albidomaculatis", non magis, quam femina nuper descripta, distinguendus videtur.

## TRIBUS 10. *Pici fuscorubidi*,

Majusculi, rufofusci, obscurius rubro-picti, non variegati; cauda brevi (æquali $\frac{3}{5}$ alæ). — Rectrices fasciis pallidis 6, in margines excurrentibus; remiges maculis utriusque marginis, vel fasciis, 8 v. 9, pallidis. Rostrum majus, longitudine capiti æquale, vel longius; rectum, validum, apice valde cuneatum. Carinæ nasales debiles, antice evanescentes, sed ut in præcedentibus, latissime distantes. Furca menti ante nares ducta, angulo menti sat prominulo. Pedes fortes, tetradactyli, digitis magnis; dig. 4:tus æqualis tertio (sed paullulum variabilis, major vel minor apparens). Plumæ narium setosæ paucæ et parvæ. *Mas* a femina differt plagâ ad latera cervicis rubra. — Patria: *Asia* meridionalis et orientalis. — (Genus Blythipicus! Bp.; Lepocestes et Phloïstes Cab. Mus. Hein. 110).

134. PICUS *pyrrhotis* Hodgs. Journ. As. Soc. 1857; — Malh. II: 37, t. 49; — Mus. Heinean. pag. 111; — supra subtusque obscure rufofuscus, dorso alisque lætius rufo fasciatis. — Rostrum pallidum. Facies dilutius fusca. Plaga, in *mare*, ad latera cervicis, magna, rubra. Dorsi fasciæ rufæ angustæ; tergum rufum, nigrofasciatum. Gastræum obscure fuscum; unicolor. Remiges nigræ, fasciis 8 integris, rufis. Rectrices læte rufæ, fasciis 6 angustioribus, integris, nigris. Longit. ala 150 mm. c. 92 (Mus. Britann.; M. Berol.). — Habitat in *Nepalia*.

135. PICUS *porphyromelas* Boie Mus. Lugd.; Malh. II: 39, t. 49; — *P. rubiginosus* Sw. W. Afr. II, 150 (1837; Hemicircus; — nec P. rubig. Sw. Zool. Ill. 1821, qui n:o 197, infra): — Mus. Hein. 111; — obscure fuscus dorso alisque rubrotinctis, non fasciatis; ventre nigriore. — Rostrum pallidum. Plaga ad latera occipitis cervicisque *maris* rubrovaria. Uropygium et alæ magis rubrotinctæ. Remiges primariæ fuscæ, fasciis pallidioribus, intus obsoletis. Cubitales intus et rectrices fuscæ, fasciis angustis, pallescentibus vel obsoletis. Ala ciriciter 120 mm. c. 72. (Mus. Bremense, Britann., Lugdun. Berol.). — *Malacca, Sumatra, Borneo.*

## TRIBUS 11. *Pici debilipedes*.

Fuscovirentes, paullum rubidopicti, non variegati; pedibus tridactylis, parvis (pro Pico). — Rostrum mediocre, fortius compressum, culmine curvato, angulo menti prominulo. Apex cuneatus; carinæ nasales fere obsoletæ, sed latissime distantes ut in præcedentibus: ad nares, latius

a culmine quam a tomiis remotæ). Digiti breves, tenues; 4:tus tertio brevior; primus deest. Fasciæ remigum et rectricum ut in Tribu præcedente formatæ. Cauda brevis ($\frac{2}{3}$ alæ). Patria *India*.

136. PICUS *grantia* Mc. Clell. Z. Pr. 1839; — Malh. II, 104, t. 72; — Mus. Hein. 174 (Geciniscus); — virentifuscus dorso c. uropygio alisque sordide, pallidius rubris. — Rostrum pallidum. Caput et collum sordide virentia; plaga verticis, in *mare*, magna, rubra; in *femina* nulla. Corpus subtus virentifuscum. Remiges primariæ fuscæ, extus rubidæ maculis magnis rubidoflavidis, pallidis; remiges omnes intus maculis albidis majoribus. Rectrices fuscorubidæ, intus fasciis 4 v. 5 latis, sordide pallidis. Ala circa 125 mm. Cauda 80. (Mus. Britann.). — *Assam* et terræ subhimalayenses, orientem versus.

137. PICUS *scotochlorus* nob., — *Gecinulus viridis* Blyth. 1862; — Mus. Hein. 174 (Geciniscus); — supra subtusque fuscoviridis, cervicem versus flavescenti-tinctus. — Plumæ tergi apice obscure rubidæ. Remiges intus maculis albis, minoribus. Rectrices fuscescentes: 2 mediæ immaculatæ, reliquæ intus maculis 4 albidis. Rostrum album. Pedes virentes. — *Mas* ignotus. — Habitat in peninsula *indica orientali* (Burmah).

## TRIBUS 12. *Pici subvirides.*

Submajores, læte, purius virides; tetradactyli, scapis fuscis, occipite rubro-cristato. Rostrum submajus, leviter compressum (ut in P. medio formatum), carinis nasalibus altis; ante nares fere æque a culmine et a tomiis distantibus. Remigum maculæ marginales in pennis maximis fere 8 (ut in Picis nigrovariis). Cauda mediocris (æqualis $\frac{2}{3}$ alæ); pennis sat acutis, fasciis multis (fere 11) sed indefinitis (ut in P. viridi). Digiti 4; quartus tertio brevior. — Patria Vestindia. (Genus Xiphidiopicus! Bp.).

138. PICUS *percussus* Temm. Pl. Col. 390 et 424; — Malh. II, 147, t. 86; — superne viridis uropygio vix flavidiore; subtus flavoalbidus, striolis sparsis nigris, in pectore longitudinalibus, in hypochondriis crissoque transversis. Latera capitis cum fronte antica alba; vitta pone oculos fusca; malaris nulla. Gula longitudinaliter nigra; plaga juguli rubra. *Mas* pileo cum cervice rubro; *femina*, vertice nigro, albostriolato, occipite cerviceque rubris; occiput utriusque subcristatum. — Remiges primariæ extus pallidimaculatæ; omnes intus albomaculatæ. Rectrices fusco-cinerascentes, fasciis multis, indeterminatis, paullo nigrioribus, secundum medium pennæ obsoletis. Ala circa 125 mm. Venter medius in *seniore* flavus, immaculatus; in *juniore* sordide coloratus. — Habitat in ins. *Cuba*. (Mus. Bremen, Berol.). — Hæc sp. sola inter americanas, affinis videtur P. viridi europæo, a cujus tribu præsertim differt rostro paullo minore, carinis latius distantibus.

## *Series 3.* Pici Ligonirostres.

*Carinæ rostri supranasales culmini, quam tomiis, propiores, antice evanescentes (neque tomia attingentes). Nares plumis setosis tectæ; collum largius plumatum, nec angustatum.* — Digitus 4:tus plerumque tertio brevior, (interdum ei æqualis; numquam longior). Rostrum plerisque majusculum, leviter compressum; culmine altius carinato, leviter curvato; carinis reliquis minus prominulis, vel obsoletis, præsertim ad apicem. Rostrum igitur in plerisque teretiusculum, vel convexum, nec angulatum. Apex interdum non vel vix cuneatus. Cutis pedum non vel vix oscinina. Alarum tectrices cubitales majores.

1:o. *P. ligonirostres non flaviscapi, americani. Colore non virescentes* (Tr. 13—15).

### TRIBUS 13. *Pici dominicani*

Nigri et albi, non fasciati vel maculati. Rostrum longius: capiti æquale, carinis nasalibus late distantibus, sed parum prominulis. Digitus 4:tus tertio æqualis. Sp. unica cognita, mediæ magn:s, *Americana*.

139. PICUS *dominicanus* Vieill. Enc. 1306 (ex Azara); — Malh. II, 217, t. 101; — dorso alisque totis nigris, tergo albo; capite, cum collo, gastræoque albis; cervice *maris* flavo. Vitta pone oculos angusta ad dorsum ducta, nigra. Venter medio, longitudinaliter, pallide flavus. Remiges omnes totæ nigræ, immaculatæ. Rectrices omnes nigræ, intus, basim versus, late albæ, nigrofasciatæ (interdum tamen fasciis vix ullis). Ala 160—170 mm. — Carinæ rostri supranasales parum minus, quam in præcedentibus, a culmine distant: ad nares, fere mediæ culmen inter et tomia, sed debiles et antice evanescentes. Totum etiam rostrum fere ut in P. viridi, vel P. aurato, formatum: longius, culmine leviter curvato, apice minus cuneato. Orbita latius nuda. — Habitat in *Brasilia* et *Regione platensi* (Mus. Bremen, Leyden, Britann., Berol.).

### TRIBUS 14. *Pici nigropicti.*

Nigri, albo, rubro vel flavo-picti, dorso alisque, extus, fasciis maculisve ordinariis nullis; rectricibus nigris, basi quoque intusque immaculatis (obs. tamen P. erythrocephalum). — Rostrum fortius, capite paullo brevius, apice evidenter cuneatum, culmine leviter arcuato, carina inferiore evidente. Carinæ nasales debiles, antice obsoletæ, culmini, quam

tomiis, propriores; sed tamen paullo distantiores quam in plerisque sequentium. Furca menti brevior quam dimidia maxilla inferior. Orbita nuda. Alæ et cauda longiores. Digitus 4:tus subæqualis tertio. — Sp. americanæ, mediæ vel minoris magnitudinis. (Gen. Melanerpes Sw. Melampicus! Malh.).

A. Tergo albo, remigibus basi nigris, intus (extusque) immaculatis.

140. PICUS *erythrocephalus* L. — Malh. II, 209, t. 97, — pennis cubiti albis, basi nigris. — Senior, utriusque sexus: capite colloque, cum gutture toto, rubris; ventre tergoque albis. Dorsum et tectrices alarum cæruleonigra. Remiges primariæ totæ nigræ, immaculatæ. Rectrices nigræ; laterales, utrinque 2, basi apiceque albæ; sæpe vero dextræ et sinistræ dispares. Rostrum basi pallescens. *Mas* purius coloratus; rostro basi latius albido. *Femina* differt gutture rubro inferius nigrocincto; rostro basi vix pallido. Ala. ♂♀, circiter 135 mm.

Junior, capite colloque, cum gutture toto, fuscis, obsolete maculatis, pileo obscuriore. Dorsum fuscum. Venter sordide albidus. Alæ, fere ut senioris, pennis cubiti albis, macula ad apicem nigra. — In *America septemtrionali* (inter 30 et 45° lat. frequens. In California quoque inventus; Gambel). Hieme meridiem versus frequentior (Audub).

141. PICUS *portoricensis* Daud. — Malh. II p. 217, t. 97; — supra niger, capito concolore, loris, orbitis tergoque albis. Gastræum cum gutture toto rubrum, lateribus griseis. Alæ et cauda totæ nigræ. Ala 120 mm. — Hab. in ins. *Portorico.* (Malh.).

B. Tergo albo; remigibus nigris, intus albomaculatis.

Remiges basi quoque nigræ maculis 5 v. 6 albis, parvis, marginis interni. Venter lateribus albido nigroque fasciatus, vitta media, lata, rubra.

142. PICUS *rubrifrons* Spix Brasil.; — Malh II, 196, t. 98; — et *P. melanocephalus* Natt., Malh. p. 195 (♀); — supra niger tergo flavidoalbo. Plaga verticis *maris* rubra, *feminæ* nulla. Caput præterea totum, cum collo pectoreque antico, nigra, immaculata. Venter, ut nuper descriptum, medio ruber, lateribus fasciatus. Ala 110 mm (♂♀ M. Sthm.; 120 Malh.). — *Brasilia* interior.

143. PICUS *hirundinaceus* Linn. X (Albin 3, t. 23); — Lth. 8; — Malh. II, 192, t. 98; et — *P. meropirostris* Wagl. Malh. p. 197; — simillimus præcedenti; unice differt vittà supra oculos incepta, flava, occiput cingente ibique fulvo-lutea. Diff. sexus et cet. ut in descr. prioris. Ala 115—120 mm. (Malh. M. Stockh.). Tergum cum tectr. caudæ album, leviter flavidotinctum. — Habitat in *Surinamo* (M. Sthm.), *Brasilia int.* et *N. Granada.*

144. PICUS *flavifrons* Vieill. N. Dict.; — Wagl. Syst. sp. 63; — Malh. II, 107, t. 100. — *P. rubriventris* Vieill. Dict., et Enc. 1324; — fronte gulaque (c. gutture medio) flavissimis; vertice occipiteque *maris* rubris, *feminæ* nigris. — Vitta per oculos lata, nigra. Corpus superne nigrum, cærulescentiniteus, linea dorsi media tergoque albis. Guttur inferius et latera corporis antica flavidogrisea; latera posteriora et crissum flavido nigroque fasciata, venter medius longitudinaliter, late

ruber. Variat gutture rubro adperso. Ala 120 mm. — *Brasilia.* (M. Sthm.).

C. Tergo, albo; remigibus basi intusque albis.
Venter albus. Pennæ cubiti, intus, macula sæpe una vel altera, a reliqua albedine distineta.

145. PICUS *melanopogon* Licht. Temm. Col. 451. — *P. formicivorus* Sw. Phil. Mag. I; — Malh. II, 199, t. 99, — niger, fascia juguli latissima alba, in medio pallide flava, utrinque ad angulos oris adscendente. Gula et plumæ nasales nigræ; frons alba. *Mas* vertice, pone frontem album, occipiteque rubris; *femina* vertiee nigro, occipite rubro. — Ala 140—150 mm. Tergum et venter alba. Fascia antepectoralis lata nigra, postice maculata; in mare sæpe rubrovaria. Remiges primariæ pleræque, basi, extus intusque longe albæ; cubitales extus non, intus longe lateque albis. — *Junior* subtus sordidius albus, nigrostriolatus. — *Mexico* (M. Berol.); *California* (M. Sthm.).

146. PICUS *flavigularis* Selater Z. Pr. 1856, 307; — *P. flavigula* Natt. Malh. II, 202, t. 99, (nec P. flavig. Bodd.; v. n:o 34); — simillimus præcedenti; differt fascia juguli tota (etiam ad latera) flava. Fascia antipectoralis nigra, tota albomalata. *Mas* occipite solo rubro; *femina* caret colore rubro eapitis. Ala 147 mm. — *Columbia, Panama.* (Malh.).

147. PICUS *xantholarynx* R:baeh, Handb. Sp. Orn.; — Malh. II, 204, t. 100; — niger, subtus albus, lateribus guttureque infimo nigrostriolatis. Gula tota pallide flava (absque plaga nigra); vitta malaris nigra. Pileus *maris* totus ruber; (*femina* ignota). Plumæ nasales et latera capitis alba (absque vitta per oculos nigra). Alæ et cauda ut in 2 præcedentibus. Ala 148 mm. — *Patria* ignota. (Malh.).

D. Nigri, ænescentes, tergo c. tectr. caudæ, remigibusque totis, nigris.

148. PICUS *torquatus* Wils. Am. Orn.; — Malh. II, 214, t. 96; — niger, viridiænescens, collo undique (torque) pallide cano; ventre c. gutture inferiore roseo (pallide cano, crebre rubrostriato). Caput supra nigrum, capistro, cum vitta per oculos brevi, rubris. *Mas* senior: gula nigra, mento rubro; *femina* gula mentoque albis. — Alæ et cauda immaculatæ, nigræ. Ala 170 mm. (M. Sthm. ♂).

Junior gutture transversim nigromaculato. — Hornotinus fuscior, torque nullo, gula nigra, rubidonotata; gastræum totum sordidius cinerascens, minus rubropictum, striolis transversis, nigris notatum. Remiges apice albidomarginatæ. (Malh.). — Habitat in America septemtr. occidentali: *California, Oregon.*

149. PICUS *herminieri* Lesson. Traité, 228; — Malh. II, 198, t. 100; — totus niger, æneoniteus, gula ventreque rubido lavatis. Alæ et cauda unicolores. Ala 133 mm. *Mas* pileo antice fuscorubido. — *Guadeloupe* (Malh.; Mus. Berol.).

## TRIBUS 15. *Pici albofasciati*

dorso alisque totis nigris, crebre albido fasciatis; rhachidibus pennarum nigris, subtus fuscis, non flavescentibus. — Caput et gastræum pallide cinerescentia, plus minusve rubro vel flavidopicta, non maculata: plaga vel vitta indefinita ventris medii, fere semper rubra vel flavescente. Crissum nigrovariegatum. Remiges nigræ, maculis utriusque marginis albis: in cubitalibus fere 8, ultima ad apicem sita; in primariis paucis, confluentibus. Rectrices nigræ, plerumque albomaculatæ: extima in margine externo, media in interno maculatis; utraque in altero margine immaculata. Pennæ vero interjacentes non vel minus maculatæ. (Maculæ rectricum, typice, in lateralibus fere 10, in mediis 7 v. 8 apparent; quædam vero, basi, semper desunt). Iris in adultis rubra; rostrum nigrum, ut in Tribu præcedente formatum, sed carinæ nasales a culmine minus distant, et carina inferior plerumque rotundata. Digiti 4: qvartus tertio subæqualis vel paullo brevior. — Patria: *America calidior,* ab æquatore septemtriones versus, fere ad 50⁰ lat:s, præsertim vero regio mexicana. — (Genus Centurus Sw.; Zebrapicus! Malh.).

1:o. Uropygio rubro; rectricibus non maculatis.

150. PICUS *striatus* Gm.; Lth. 39; — Malh. II, 231, t. 107; — dorso alisque nigris, latius flavescenti-fasciatis, tergo rubro. Macula ad latera cervicis unica, nigra albaque. — Latera capitis cum fronte antica cinerascentia, unicoloria. Pileus *maris* ruber; *feminæ* niger, postice ruber. Gastræum sordide fulvescens, immaculatum, vitta ventrali nulla, sed antice rufescenti-, postice flavescenti-lavatum. Rectrices nigræ; laterales, utr. 2 vel 3, plus minusve pallescenti-tinctis et marginatis. Ala 120 mm. — *Junior* similis seniori, colore vero sordidior. — Hab. in insula *Hayti.* (M. Sthm.). Sp. a reliquis sat distincta.

2:o. Uropygio albo, vel colore dorsi fasciato; cauda albo-notata. (Sp. typicæ, fasciis dorsi non flavidis).

A. Rectrices nigræ, tantum media et extima striolis maculisve marginalibus parvis notatæ. Orbita immaculata. (Obs. P. gerini, n:o 162).

151. PICUS *radiolatus* Wagl. Syst. Sp. 39, — et Isis, 1829, 512; — Malh. II, 237, t. 104; — supra niger, dorso, cum tergo alisque, striis transversis tenuissimis, albis, undato; facie, plumis nasi, gulaque albis. — Gastræum fuscescens, ventre medio rubro. Remiges maculis paucis parvisque albis. Rectrices nigræ, mediæ intus, extima extus, striolis marginalibus, angustis, albis. *Mas* pileo toto rubro; *femina* occipite solo rubro. Ala 134—140 mm. — Striæ dorsi albæ tenuissimæ, sed æque ac in P. carolino (sp. 155) distantes; uropygii latiores. — *Jamaica* (Malh.).

152. PICUS *albifrons* Swains. 1827; — Cabanis, Journ. 1862, 324; — *P. dubius* Cabot; — *P. erythrophthalmus* Licht.; — Malh. II, 243, t. 105; — supra niger striis transversis albis, angustis, crebri-

oribus; uropygio albo, immaculato; plumis nasalibus rubris, fronte sordide albida. — Caput et gastræum grisea, ventre medio rubro, crisso transversim nigrostriato. *Mas* pileo c. occipite rubro, fascia frontis albida (Mh.; ♂ M. Sthm plaga verticis rubra ab occcipite rubro distincta: Vera Cruz, Januari 1843, Högberg); *femina* pileo griseo, antice albido, postice rubro. Rectrices ut in præcedente. Striæ dorsi circiter 7 albæ in spatio 20 mm numerantur. Ala 125—130 mm. Habitat in *Mexico* (♂♀ M. Stockh.).

Obs. *P. Santa Cruzi* Bonap. 1837; Malh. 241, t. 105; — a præcedente unice differt plumis nasalibus ventreque medio flavescentibus, plus minusve rubidotinctis, quod vix nisi ætatem juniorem indicare videtur (Cab.). Frons eodem modo albida. Hic inventus in Mexico meridionali et in Guatimala, Cab., et usque ad fines Texanas, Baird, Report 110: *C. flaviventris* Sw. Two Cent. 110. Ala ♂ 130—125 mm; ♀ 120 (Mus. Berol.).

153. PICUS *aurifrons* Licht. Wagl. Isis 1829, 512; — Malh. II, 240, t. 104, — cervice fronteque c. plumis nasalibus flavis. — Caput et gastræum cinerascentia. Pileus *maris* plaga majore rubra; *feminæ* totus cinereus. Venter medio flavus; crisso lateribusque postice nigrofasciatis. Dorsum et alæ nigræ, fasciis albis minus angustis (fere ut in P. carolino); uropygio albo. Rectrices mediæ immaculatæ vel macula singula, parva, alba ad basim; penna extima maculis marginalibus, albis, non parvis; (proxima interdum apice albomarginata Malh.). — Ala 131—136 mm. — Hab. in *Mexico* septemtrionali (nec prope Bogotà; Cabanis, Journ. 1862, 323). (Mus. Berol.).

B. Orbita immaculata. Rectrices nigræ maculis albis majoribus pictæ. (Penna extima maculis et, apicem versus, fasciis, latioribus picta; 2:da maculis marginalibus parvis; media pogonio interno albo fasciis maculisve nigris vario, externo juxta scapum albo).

154. PICUS *polygrammus* Cabanis, Journ. 1862, 326 (Centurus); — supra niger, crebrius albofasciatus, uropygio albo; plumis nasi plagaque cervicis luteis. — Caput et gastræum grisescentia, ventre medio flavo-tincto, postremo maculis angulatis, nigris vario. Fasciæ dorsales crebræ, (fere ut P. albifrontis), sed albæ et nigræ latitudine subæquales. Rectrices mediæ latius albo-, quam nigro-pictæ: pogonio interno albo, maculis 5 parvis nigris; externo, vitta, secundum scapum, longa alba; limbo externo, scapo apiceque nigris. Penna extima extus apiceque albofasciata; proxima extus parum albomaculata. Femina pileo griseo antice pallido, subalbido. Mas ignotus. Ala 130 mm. — *Mexico:* St. Bartholo. (Mus. Berol).

155. PICUS *carolinus* L. — Malh. II, 232, t. 103; — supra niger fasciis albis nigrisque subæqualibus; uropygio albo, maculis fasciisve paucis, angulatis, nigris; plumis nasalibus rubris. *Mas* pileo toto cum cervice rubro; senior quoque stria malari obsoletiore rubra; *femina* pileo obscurius cinereo, fronte antica cerviceque rubris. — Caput reliquum et gastræum pallide grisea, gula albidiore, vitta ventrali pallidius rubra, crisso nigromaculato. Rectrices nigræ; media pogonio interno

albo, fasciis 6 nigris; externo vitta juxta scapum alba, angustiore. Penna extima fasciata; proxima circa apicem albomaculata vel marginata. In dorso, fasciæ 4 albæ spatium explent 20 millimetrorum; fasciæ nigræ paullo latiores quam albæ. Ala, in senioribus utriusque sexus, circa 130 mm. (M. Sthm). — Hab in *America septemtrionali*, præsertim inter 35° et 45°, vel fere ad 50°; vix autem in regione occidentali, juxta mare pacificum; hieme meridiem versus, in Carolina — Florida et Texas, abundat (Audub.). Color ruber in speciminibus occidentalibus saturatior, in occidentalibus dilutior (Baird. Rep.).

156. PICUS *uropygialis* Baird. Philad. Proc. 1854 (Centurus); — Report 1858, 111; — Cab. Journ. 1862, 330; — *P. kaupii* Bp.; — Malh. II, 245, t. 106; — superne albo nigroque, paullo latius fasciatus, uropygio quoque fasciato. Caput et gastræum fulvogrisea, cervice concolore, ventre medio luteo, crisso nigrofasciato. Plaga verticis *maris* rubra, *feminæ* nulla. Plumæ nasales dilute griseæ (nec flavescentes). Rectrices ut in P. carolino pictæ: media pogonio interno late albofasciato, externo nigro, juxta scapum angustius albo. Penna extima latius fasciata; proxima, extus maculata, apicem versus interrupte fasciata. Ala 125—130 mm. — Habitat in *Mexico*, et *Texas* (Baird. Non in Bolivia). Mus. Berol.

157. PICUS *hoffmanni* Cabanis, Journ. 1862, 322; — supra (fere ut præcedens) fasciatus, uropygio albo; plumis nasalibus plagaque cervicis flavis. Vertex *maris* ruber, *feminæ* cinerascens. Caput reliquum et gastræum grisescentia, ventre medio luteo (interdum rubido-tincto). Crissum nigrovarium. Rectrices mediæ albæ, fasciis nigris in pogonio externo regularibus, in externo macularibus; extima extus, 2:da non vel parum maculata. Ala circa 122 mm. — Hab. in isthmo Americæ medio: *Costa rica* (M. Berol.). Picturâ similis P. aurifronti; parum vero a sequente differt.

158. PICUS *tricolor* Wagl. Isis 1829, 512; — Malh. II, 247, t. 106; — Cabanis, Journ. 1862, 327; — minor, fasciis dorsi albis parum angustioribus quam nigris; uropygio pure albo; rectricibus mediis albis, fasciis nigris, intus regularibus, extus obliquis v. macularibus, (scapo apiceque nigris); extima extus albomaculata; secunda immaculata (vel apice albonotata). Caput et gastræum sordide grisescentia, cervice ventreque medio lutescenti-rubris. Plumæ nasales flavescentes; frons paullum albidipallens. Pileus *maris* plaga magna rubra, a pictura cervicis frontisque distincta; *feminæ* grisescens, paullum fuscovarius. Crissum fuscomaculatum. Ala 108 mm (♀ jun. Venez. 98). — Habitat in *Nova Granada* et *Venezuela* (Cab.; M. Berol.; M. Stockh.).

Obs. Variat colore cervicis et ventris medii, in mare seniore intensius rubido; plumis nasi, in mare, apice sæpe rubidis; in femina et juniore subgriseis, vix flavis.

Quædam: facie undique flavescente et uropygio nigromaculato (Patr. incerta, M. Berol.; typus descr:s Wagleri, Cab.); Veris: *C. subelegans* Baird, Report 109, (sub. C. carol.); ex "Mexico septemtr." (an rite?). Fasciæ dorsales albæ hujus avis angustiores dicuntur; ala ($4\frac{1}{2}$ p. angl. =) 113 mm.

Neque distinctus videtur *P. rubriventris* Sw. — Malh. 248, t. 107; — striis albis dorsi angustis, (ut in P. albifronte), pileo cerviceque *maris* continuis, rubris; ventre medio rubro; facie c. reg. nasali flava; uropygio albo, immaculato; rectricibus ut supra descriptis; ala 106 mm; *patria* ignota (ex conjectura, Mexico); — præter dubium ex Venezuela vel N. Granada interiore, unde specimina, recentius allata, a Cabanisio l. c. describuntur, neque a P. tricolore Wgl. distincta habentur. (Veris. *mas* senior).

C. Orbita vel striola supra oculum nigra.
Rectrices fere ut in præcedentibus (B) pictæ. (Sp. minus typicæ).

159. PICUS *hypopolius* Wagl. Isis 1829, 514; — Malh. II, 228, t. 103; — capite, collo gastræoque obscure fulvogriseis, fronte albida, orbita fuscoonotata. Pileus *maris* anterior ruber: *feminæ*, præter frontem, totus fuscogriseus. Stria malaris, in senioribus utriusque sexus, rubida. Corpus superne, fere ut in P. carolino, fasciatum, uropygio albo, longitudinaliter nigrostriolato. Vitta ventralis nulla rubida; crissum fuscovarium. Rectrices nigræ; mediæ fasciis pogonii interni fere 4, vittaque parva in basi pog. externi, juxta scapum, albis; laterales, utrinque 2, margine externo albomaculatæ, interno minus albonotatæ. Ala 123—130 mm. — *Mexico* (Malh., Mus. Berol.).

160. PICUS *elegans* Swains. 1827; — Malh. II, 225, t. 102; — orbita tota latius nigra, cervice flava. Dorsum c. alis et uropygium nigra, albofasciata; gastræum sordide griseum, ventre medio flavo, crisso nigrofasciato. Frons albida. Plumæ nasales et vitta capitis lateralis, indefinita, a maxilla inferiore ad occiput ducta, flavæ. Pileus *maris* ruber, *feminæ* fuscogriseus. Rectrices mediæ in utroque pogonio latius albofasciatæ; laterales, utrinque 2, in utroque margine albomaculatæ; maculis tamen in penna secunda parvis, paucisque. Ala 120—130 mm. — *Mexico*. (Mus. Berol.).

161. PICUS *superciliaris* Temm. Col. 433; — Malh. II, 223. t. 102; — plumis nasalibus rubris; fronte latius alba. Pileus *maris*, pone frontem, cum cervice, ruber, striâ laterali, juxta oculos, nigra; *feminæ* antice latius albus; dein niger, cervice rubra. Dorsum et alæ latius albo nigroque fasciatæ, uropygio albo, fasciis nigris angustis. Gastræum grisescens, ventre medio rubro, hypochondriis postice crissoque maculis transversis, angulatis, nigris. Rectrices nigræ; media pogonio interno, extima extus, latius albofasciatis. Ala circa 140 mm. — Hab. in *Cuba* (Malh.; Mus. Berol.).

162. PICUS *gerini* Temm. Pl. Col. in descr. tab. 433 (ex Gerini Orn. II, 48, t. 171; — Lath. sp. 18, P. carol. *d*) — Malh. II, 231; — *P. pucherani* Malh. 1849 — et II, 227, t. 103; — Lateribus capitis nigris, striolâ pone oculos albâ, inter vittam superciliarem (ad latera pilei) vittamque postocularem sitâ; regione nasali flava. — Superne albo nigroque fasciatus, uropygio tergoque albis, immaculatis. Pileus *maris* ruber; *feminæ* antice grisescens, medio niger, postice ruber. Gastræum grisescens, gula albidiore; ventre medio rubro, lateribus nigrofasciatis. Rectrices minus quam in reliquis albopictæ; mediæ pog. interno fasciis

paucis, angustis albidis; laterales, utr. unica, pog. externo albomaculato, et, ut in proxima, apice albidonotato. Ala 125—130 mm. — Hab. in Ins. *Antillis* (Tabago), *Guatimala*, *Nova Granada* (Malh.), *Ecuador* (Mus. Berol.).

Obs. *Picus aurocapillus* Sw. Z. Proc. 1832, 4, ex Mexico, male descriptus; a Cl. Malherbe (II, 250) post sp. hujus Tribus memoratus, similis præcedenti (P. pucherani Mh.), sed dubius habetur. Descriptio vero allata potius Picum americanum, tridactylum, exhibere mihi videtur.

---

2:o. *Pici ligonirostres non flaviscapi, Veteris Orbis. Omnes colore virescentes vel rubidi.* (Tr. 16—19).

TRIBUS 16. *Pici guttiventres*

Sp. minores, fuscovirides, subtus alboguttatæ, scapis fuscis (nec flavis). Remiges intus late albæ (non maculatæ); extus albomaculatæ. Rectrices totæ nigræ, vel maculis paucis, albis, marginalibus. Rostrum capite multo brevius, culmine curvato, apice acutius cuneato, carinis nasalibus fortibus, sed culmini proprioribus, apice evanescentibus. Digiti 3:us et 4:us, in sp. 2 cognitis, subæquales. Stria malaris nulla. Patria, Africa. Affines Picis chrysuris, Tr. 20. (Ab auctt. in varia genera imposita; Pardipicus Bp. Csp. Zygod.; etc. v. infra).

163. PICUS *caroli* Malh. Rev. Z. 1852 (Chlorop.); — Monogr. II, 157, t. 91; — *Cnipotheres caroli* Mus. Hein. 131; — fuscoviridis, gastræo, cum gula lateribusque capitis, crebre albidoguttato. — Pileus obscurius fuscus, *maris* posterius rubro-varius; *feminæ* unicolor. Regio postocularis late fusco-rubens. Corpus superne unicolor. Remiges primariæ extus maculis paucis, parvis, marginalibus, albidis; remiges omnes intus late albidæ, quasi limbo latissimo, e maculis confluentibus formato. Rectrices nigræ, extima sola extus albomaculata. Guttulæ gastræi rotundatæ, diametro $2\frac{1}{2}$ mm. Regio superciliaris etiam guttatus. Ala circa 100 mm. — Habitat in *Africa occidentali*, sub æquatore: Gabon, Malh., Camma, Mus Hein. (♀ Mus. Berol.).

164. PICUS *pardinus* Temm. Mus. Lugd. — *Stictocraugus pardinus* Mus. Hein. 130; — *Dendromus nivosus!* Sw. W. Afr. II, 162; — *Chrysop. nivosus* Malh. II, 151, t. 92; — fuscovirens, subtus crebre albidoguttatus, lateribus capitis gulaque pallidis, fuscostriolatis; cauda tota nigra. Pileus fuscior; *maris*, occipite solo rubro; *feminæ* absque rubro. Remiges omnes intus late fulvoalbidæ; primariæ extus albomaculatæ. Parvus: ala 90 mm. — *Africa occid.* (sub æquatore et in Senegambia, M. Hein.; Guinea, Malh.).

Obs. Nomen antiquius, nivosus, pessime huic datum, rejiciendum. — In descriptione hujus, ut sæpe in Vol. 2:do operis Malherbiani, nomina remiges et rectrices commutata vel confusa sunt.

## TRIBUS 17. *Pici mesospili*

Virescentes, parum variegati, cauda longius gradata, tota nigra, lateribus capitis vittatis, occipite cristato. Rostrum fortius, longitudini capitis æquale, culmine recto, alto; apice valde cuneatum; carinis nasi debilibus, culmini propius sitis. Furca menti longa: sub $\frac{3}{5}$ suturæ extensa. Remiges nigræ, maculis paucis albis (fere ut in Picis plerisque); sed maculæ internæ in medio pogonii int. sitæ, nec marginales, quod huic sp. fere peculiare. (Indeque nomen hujus Tribus petitum est). Pedes minores, in sp. cognita tridactyli. Digitus 4:us tertio brevior. Patria Malayasia. (Sp. cognita, a plerisque, cum P. javanensi, infra n:o 228, congesta).

165. PICUS *rafflesii* Vig. — Malh. II, 102, t. 72; — Mus. Hein. 173 (Chrysonotus); — tridactylus, virentifuscus, dorso, cum uropygio alisque, luteomicante; gula fulvoalbida; vitta malari (antice imperfecta) vittaque postoculari nigris, longis, cum vittis 2 albis alternis. Pileus postice cristatus; *maris* ruber stria superciliari, ad latera sita, nigra; *feminæ* totus niger. Gastræum fuscum, maculis in hypochondriis paucis, albis. Cauda tota nigra; longa: æqualis $\frac{3}{4}$ alæ. Remiges omnes intus nigræ, maculis 3—5 parvis, rotundis, albis, a margine remotis, in medio pogonio interno sitis. R. primariæ extus quoque nigræ; 3—7 apice griseæ. Quædam, in margine externo, maculis perparvis, albidis notatæ (in femina 3—5. Hæ maculæ in mare obsoletæ). Rostrum pedesque fusci. Ala circiter 140 mm (maris 135, feminæ 148 mm; M. Stockh.). — *Juv.* superne minus luteo-micans; ♂ hornot. pileo nigro, crista sola rubra (Mh.). — *Singapore; Sumatra* (Java, M. Hein.).

## TRIBUS 18. *Pici flavinuchales.*

Sp. mediæ vel submajoris magnit:s, virides vel rubro-tinctæ, plumis occipitis longis, cristam formantibus: inferioribus læte flavis (superioribus rubris vel virentibus). Cauda elongata: æqualis $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ alæ; fortius gradata, nigra, unicolor. Remiges omnes intus nigræ, maculis 4—6 albidis, a margine plerumque paullum, vel saltem ad latera, distinctis; primariæ sæpius extus quoque maculatæ. Rostrum, plerumque, capite paullo brevius, crassiusculum, apice acutius, subcuneatum; culmine curvato, carinis nasi fere obsoletis, furca menti longa (fere ad $\frac{2}{3}$ suturæ). Pedes fortiores; dig. 4:o multo breviore quam 3:tio. — Asia meridionalis. (Gen. Chrysophlegma Gould; Venilia Bp.; Brachylophus Strickl.; Chloropicus, pars, Malh.).

166. PICUS *flavinucha* Gould Z. Pr. 133, 120; — Malh. II, 106, t. 73; superne lætius viridis, capite fuscovirente, superne rufescentilavato, gula *maris* flava, *feminæ* fuscorufescente; plaga juguli nigra, albo-

maculata. Crista inferior flavissima. Venter fuscovirens, antice obsurior. Remiges primariæ utrinque, cubitales intus, nigræ maculis majoribus rufis. Cauda nigra, immaculata. Rostrum albidum, basi latius fuscum. Ala circa 165 mm (♂♀, M. Berol.; M. Stockh.). — *India septemtrionalis* (etiam Assam, Burmah, Jerd.).

167. PICUS *mentalis* Temm. Col. 384; — Malh. II, 112, t. 75; — supra subtusque obscure viridis, alis extus fuscorubris; gutture infimo lateribusque colli obscure rufis, jugulo nigro, albostriolato. — *Mas* lætius coloratus, gula (ut jugulum medium) nigra, albostriolata; regione malari fusca, albidoguttata; lateribus capitis colore pilei. *Femina* paullo major, sordidius picta, gula cum reg. malari lateribusque capitis rufescentibus. Pileus utriusque sexus obscurius fuscoviridis, crista inferiore flava, elongata. Remiges, ut in præcedenti, nigræ, rufomaculatæ; cubitales fere 3 ultimæ virentes; reliquæ extus et tectrices omnes rubræ. Cauda nigra immaculata. Rostrum nigrum, circa angulum menti albidum. Ala ♂ 135; ♀ 146 mm (M Sthm). — *Java; Singapore.*

168. PICUS *puniceus* Horsf. L. Tr. XIII, 176; — Malh. II, 110, t. 70; — fuscoviridis dorso lætiore, gula paullo dilutiore, fulvescente; alis extus pileoque toto (in utr. sexu) rubris. Crista inferior flava. Gastræum dorso paullo obscurius, immaculatum; hypochondriis crebre albomaculatis. Vitta malaris *maris* rubra, *feminæ* nulla. Remiges omnes, intus, maculis parvis albis, primariæ, extus, 1 vel 2 adhuc minoribus pictæ. Cauda nigra. Rostrum nigrum maxilla inferiore albida. Ala 130—140 mm. — *Junior* sordidius coloratus, ventre quoque sparsius (subobtecte) albomaculato. — *Java, Sumatra, Malacca.*

169. PICUS *chlorolophus* Vieill. Enc. 1309 (descr. mala); — Malh. II, 108, t. 74; — superne læte viridis; pileo concolore, striâ superciliari rubra. Jugulum viridifuscum; venter c. crisso fusco albidoque fasciatus. — *Mas*, stria superciliari, a naribus orta, pileum totum cingente, striaque malari rubris. *Feminæ* stria superciliaris tantum pone oculum adest; malaris nulla. — Crista occipitis inferior latissima flava. Latera capitis et gula albida, fuscovaria. Remiges intus tantum albomaculatæ; mediæ quædam extus rubidotinctæ. Cauda nigra. Ala circiter 146 mm. — *India septemtrionalis*, præsertim juxta Montes Himalaya. (Mus. Berol.; Jerdon.).

170. PICUS *xanthoderus* Malh. Rev. Z. 1845; — Monogr. II, 114, t. 75; — fuscoviridis, alis extus viridibus, plumis rubrolimbatis; ventre transversim albomaculato. *Mas* pileo vittaque malari rubris; *femina* pileo virescente, occipite late rubro; vitta malari nulla. — Remiges omnes intus, primariæ quoque extus, fulvo-albido maculatæ. Crista occipitis inferior flava. Ala 120 mm. (Malh.). — *India meridionalis:* Malabar, Ceylon (Jerd. Ind. I, 290: "*P. chlorophanes* Vieill.").

Obs. Nomen *P. chlorophanis*, huic, a Blyth, Catal. p. 59 [impr. 1852] lapsu datum, pro P. chlorolopho Vieill., quod tamen est sp. præcedentis. — Idem verisimiliter "*P. chlorophanes* Vieill", R:bach Handb., Picinæ 359, c. figg. ♀ tab. 629, etsi remiges prim. extus rubræ, cubitales extus virides exhibeantur.

171. PICUS *miniatus* Forster Z. Ind.; — Lth. 50; — Malh. II, 116, 76; — pileo alisque fuscescentirubris; dorso tergoque maculatis; ventre fulvescente, fasciis crebris, nigris, flexuosis et angulatis, vario. — *Mas* vetus, superne lætius ruber, dorso antico rubro, vix pallidimaculato, postico flavovirenti; gula c. lateribus capitis læte rufofulvis, punctis creberrimis, parvis, albidis, nigrocinctis; fronte antica fusciore, punctis minoribus, albidis. *Femina* sordidius rubra, gutture lateribusque capitis rufescentibus, immaculatis: dorso virenti, fusco, pallido rubidoque maculato. Cetera ut in mare. — *Junior* sordidior magisque maculatus. — Plumæ occipitis elongatæ; inferiores subvirentiflavæ. Remiges omnes intus, primariæ etiam extus fulvescentimaculatæ. Rectrices totæ rubidonigræ. Rostrum basi crassum, latum; apice sat acuto; nigrum maxilla inferiore pallida. Ala circiter 130 mm. — *Malacca* (freqv. ex Singapore); *Sumatra* (Raffl.); *Java* Horsf. (ex Batavia M. Sthm).

## TRIBUS 19. *Pici virides.*

Majores, lætius virides (vel canescentes) superne immaculati, uropygio viridiflavo, nitente; subtus pallidiores. Non cristati. Cauda elongata: æqualis ¾ v. ⅘ alæ, pennis fuscis plus minusve pallidifasciatis vel maculatis (in plerisque ut in P. viridi pictis; cf. infra). Remiges primariæ utrinque, cubitales intus, nigricantes, albomaculatæ. Maculæ numerosæ: cubitalium submarginales, intus fere 10; sed 11 et 12, juxta apicem, plerumque omnino desunt. In primariis fere 9 extus adsunt, apice toto, intus longius, immaculato. — Rostrum capiti subæquale, vel longius, ut in Tr. præcedenti formatum, vel apice paullo fortius cuneatum. Pedes fortes, digito 3:o ceteris longiore. Patria Asia cum Europa et Africa septemtrionali, sicuti Pici nigrovarii. — Genus Gecinus Boie, Isis 1828; Brachylophus. Sw. Classif. II, (1837).

*a*) Ventre fuscescenti-striolato:

plumis ventris pallidis, stria intramarginali, concentrica, virentifusca ornatis. Scapus quoque sæpe fuscus. Rectrices nigriores (Sp. indicæ).

172. PICUS *vittatus* Vieill. Dict.; et Enc. 1317; — *P. dimidiatus* Temm. descr. absque icone post descr. P. leucogastri, Pl. col. tab. 501; — Wagl. sp. 88; — Malh. II, 132, t. 76; — minor, gutture toto pallide virentifulvo, immaculato; cauda nigra, immaculata, vel maculis paucis, parvis, pallescentibus in pennis mediis et in marg. externo extimæ. — Ala circa 130 mm. Pileus *maris* totus ruber, stria superciliari nigra; *feminæ* totus niger. — In utr. sexu: latera capitis cinerea, fuscovaria; vitta malari nigra, albovaria. Venter, dorsum, remiges, cf. descr. generalem. Alæ extus paullo obscuriores, fulvoinduttæ. Rostrum fuscum, max. inferiore albida. (M. Sthm.). — *Java, Sumatra, Malacca, Arracan.*

173. PICUS *squamatus* Vig. Z. Proc. 1830, 8; — Malh. II, 131, t. 78; — simillimus præcedenti, sed major: ala 170 mm. — Præterea

differt: rostro fere toto pallido; gutture (immaculato) pallide virenti-grisescente; rectricibus nigrofuscis, fasciis griseo-albidis, scapo interruptis, evidentibus, sed indefinitis. Diff. sexus ut prioris. (Mus. Berol.). — *Nepal, Caschmir.*

174. PICUS *striolatus* Blyth. Journ. As. S. XII; — Malh. II, 134, t. 78. — Iterum simillimus P. vittato (172), eique magnitudine æqualis. Differt gutture toto fuscescentistriolato: striis, ut ventralibus formatis, sed latioribus, fuscovirentibus. Rectrices nigrofuscæ; mediæ fasciis griseopallescentibus, interruptis; laterales, extus, maculis griseo-albidis. Differentia *sexus*, rostrum et pictura P. vittati, sed uropygium lætius flavum; alæ extus purius virentes; vitta malaris potius alba, nigrostriolata. (M, Stockh.). *India* fere tota: Himalaya — Malabar (Jerd. Ind. 287).

*b*) Gastræum seniorum non striolatum, vix, vel tantum postice, maculatum; sed in juv. hornotino, plerumque majore parte, maculis transversis, angulatis, varium. (Extra-tropicales).

175. PICUS *viridis* L.; — Lth. 27; — Malh, II, 118, t. 79; — lateribus capitis, a rostro, paullum pone oculos, nigris. Pileus utr. sexus totus ruber plumis basi cinereis. Vitta malaris, a nigredine faciei non distincta, nigra, *maris* rubro varia; *feminæ* tota nigra. Ala 165—170 mm. — Viridis, interdum cinerascens; subtus pallidior, postice, præsertim in femina, maculis transversis, fuscescentibus notatus. Uropygium viridiflavum, nitens. Rectrices fuscæ, fasciis pallescentibus, indefinitis, scapo interruptis, numerosis; in mediis fere 9, sed apex longior niger, immaculatus; in lateralibus, (utrinque 2 vel 1) fere 11. Iris senioris albida. — Habitat in *Europa*, a mari mediterraneo, ad lat. 60 v. 61$^0$; sed in Hibernia deest, nec in aliis partibus mundi cognitus.

*Juv.* hornotinus: superne maculis plumarum mediis, albidis vel pallidis, subtus maculis crebris, transversis, subsagittatis, nigris, varius. Gula et latera capitis collique fuscostriolata. Fasciæ caudæ et maculæ alarum pallidiores et evidentiores quam in senioribus.

176. PICUS *awokera* Temm. Pl. Col. 585; — Malh. II, 128, t. 80; — simillimus P. viridi: virescens, lateribus capitis collique cinereis, loris (totis, ante oculos) nigris. — Pileus *maris* ruber, *feminæ* cinerascens, postice ruber. Vitta malaris utriusque sexus rubra. Crissum et hypochondria maculis majoribus, nigris, transversis. Rectrices ut in præcedenti, vel paullo nigriores. Ala circiter 135 mm. (M. Berol.). — Hab. in *Japonia.*

177. PICUS *algirus* Vaillant, Expl. de l'Alg. 1849; — Rchb. Handb. p. 348 (1854); — *P. vaillanti* (Chlorop.) Malh. Cat. d'Ois de l'Alg. — Monogr. II, 122 t. 82; — viridis, lateribus capitis virenticanis, striola lori tenui, malari lata, nigris; pileo *maris* toto rubro; *feminæ* cinereo, fuscomaculato, occipite rubro. Ala 155—160 mm. — Inter P. viridem et P. canum intermedius. Gula albida; fasciolæ abdominis arcuatæ, fuscovirentes. Uropygium læte flavum. Alæ et cauda ut in P. viridi. — *Algieria; mons Atlas.* (Mus. Stockh.).

178. PICUS *occipitalis* Vig. Z. Proc. 1830, 8; — Malh. II, 129, t. 77; — saturatius viridis, rostro toto nigro, lateribus capitis cum loris cinereis, stria malari utriusque sexus nigra; pileo cum cervice *nigro*, plaga frontali in *mare* maxima, rubra, in *femina* nulla. Crissum et hypochondria non maculata. Rectrices fuscæ; laterales immaculatæ; fasciæ tamen pallidiores in mediis adsunt. Ala circa 150 mm. (M. Berol.). — *Nepal, Assam, Burmah.* (Jerd.).

179? PICUS *tancola* Gould Z. Pr. 1862, 283; — Swinh. ibid. 1863, 268; — et Ibis 1863, 389. — Simillimus P. occipitali, a quo differre dicitur maxilla inferiore albida, apice fusca, loris nigris, alis extus fulvescenti-viridibus, maculis externis remigum fulvis. Rectrices laterales plus minusve pallidifasciatæ. Iris alba. Paullo minor dicitur, quam P. occipitalis: ala 140 mm ($5\frac{1}{2}$ p. Swinh.). — A Swinhoe, l. c. intermedius dicitur inter P. occipitalem et P. guerini. Patria quoque intermedia: montes *Chinæ meridionalis* et insulæ *Formosæ.* (Mihi ignotus).

180. PICUS *guerini* Malh. Rev. Z. 1849; — Monogr. II, 127, t. 80; — lætius viridis, capite pallido, cervice nigromaculata. Stria lori et stria malaris nigræ. Pileus *maris* antice late ruber; *feminæ* cinerascens. Ala 150 mm. — Simillimus P. cano, et inter eum et præcedentem medius; differt maculis cervicis, coloreque lætiore; alis fulvescentiviridibus. Alæ et cauda ut in illo. (Malh.). — *China* (Shanghai etc. circa $30^0$ lat. Swinh.).

181. PICUS *canus* Gm. (Edw. 65); — Malh. II, 124 et 294, t. 81; — *P. norvegicus* Lath. 33; — dilutius viridis (vel cinerascens), subtus pallidior, capite pallidius cinereo, stria lori striaque malari angustis, nigris; cervice immaculata. *Mas* plaga frontali rubra; *femina* pileo toto cinereo. Ala circa 150 mm. — Remiges extus purius albomaculatæ; rectrices dilutius fuscæ, fasciis, in media et extima, parum distinctis, pallidis. Reliquæ pennæ ut in præcedentibus, fere unicolores. Seniores subtus immaculati. Iris dilute rubra. — *Juvenis* anni, supra subtusque minus vel obsoletius maculatus. — Hab. in *Europæ* dimidio orientali, a Græcia, fere ad circulum polarem; deinde, præsertimque, per *Asiam septemtrionalem,* usque ad mare japonicum et China septemtrionali (Swinh. Z. P. 1863, 167).

Obs. *P. Karelini* Brandt Bull. Petersb. X, 12; — Malh. II, 126 (fig. nulla); — ex *Persia;* pileo cano, plumis medio nigris, apice rubris, vel, in fronte, albis. Latera capitis collique et gastræum albida, vitta malari nigra, infra albovaria, supra albomarginata; gutture medio ventreque fuscomaculatis. Plumæ dorsi fuscæ, albofasciatæ, apice flavovirides. — Videtur juv. hornotinus sp. cujusdam hujus Tribus. Cl. Malh., ex indicio Brandtii, eum l. c. juv. ipsius P. viridis suspicatur. (Vix *P. persicus* Gm.; Lth. 34 (unice ex Aldrovando); cujus in descriptione neque Picum, nec aliam avem agnoscere possumus).

3:o. *Pici Ligonirostres flaviscapi, Veteris orbis.* Omnes africam. Tribus 20, 21).

### TRIBUS 20. *Pici chrysuri*

Sp. mediæ vel minoris magnitudinis, virescentes, gastræo nigrovario, non rubropicto. Pileus niger, rubropictus, vel totus ruber. Remiges, intus, maculis marginalibus fere 6; — 7 a et 8 va, ad apicem sitæ, plerumque obsoletæ, non observandæ. Cauda mediocris, circiter $\frac{2}{3}$ alæ æqualis, fasciis rectricum pallidis, interdum nullis, plerumque fere 10, indeterminatis vel subobsoletis. Scapi pennarum utrinque, vel tantum subtus flavi. Rostrum capite brevius, vix compressum, sutura recta; culmine leviter arcuato, furca menti $> \frac{1}{2}$ suturæ. Apex acutior, plus minusve cuneatus. Digitus 4:tus tertio brevior. (Sp., a plerisque, cum sequenti Tribu, vel cum sp. Tribus 16mæ, quibus affines videntur, conjunctæ).

*a*) Minores, superne immaculati.
Scapi superne fusci.

182. PICUS *brachyrhynchus* Sw. W. Afr. II, 160; — Malh. II, 152, t. 91; — Mus. Hein. 132 (typus gen:s Campotheræ Gr.); — dorso alisque extus lætius fuscoviridibus, immaculatis; gastræo sordide flavoalbido, crebre nigrofasciato; jugulo lateribusque capitis fasciis nigris arcuatis, crebrioribus; gula fulvescentialbida, nigromaculata; subalaribus flavoalbidis, late nigrofasciatis. *Mas* pileo toto rubro, plumis basi cinereis; *femina* pileo nigro, tenuius fulvoalbido striolato, occipite cum cervice rubro. — Remiges margine externo immaculatæ (vel "vestigiis macularum in summo margine primariarum"); intus maculis majusculis. Rectrices nigrofuscæ, extus late virescentes, immaculatæ. Rostrum capite multo brevius, basi sat latum; fuscum, subtus, basim versus, paullum pallescens. Ala 100 mm. — Junior: pileo antice et medio nigricante, plumis sparsis apice sordide rubris. Ala 91 mm. Culmen r. 16 (M. Sthm.). — *Gabon.*

183. PICUS *maculosus* Valenc. Dict. 1826; — Malh. II, 156, et — *P. chloronotus* Cuv.; Malh. tab. 92; — *Campethera vestita,* Cassin Philad. Proc. 1863, 197, et — Trans. 1863, t. 51; — simillimus præcedenti. *Femina* differt: plumis subalaribus fulvoalbidis, fere immaculatis; collo undique, cum lateribus capitis cerviceque, dilute rufescentibus, nigrovariis (ut in præcedenti); remigibus primariis extus distinctius albomaculatis. Pileus niger, punctis rufis varius. Ala 100—105 mm. (Malh., l. c., ubi tamen icon et descr, inter se differunt). — *Sierra Leone, Senegal.*

Obs. Hanc avem ipse non vidi, crederem vero eam a præcedente non, nisi sexu et ætate differre. Hæc enim (P. maculosus) est femina senior; altera vero sp. (P. brachyrh.) ex junioribus et ex mare seniore ejusdem speciei descripta videretur.

184. PICUS *gabonensis* Verreaux, Rev. Z. 1851, 513 (Dendrobates); — Malh. II, 149, t. 91; — Mus. Hein. 129 (Gen. Ipopatis M. Hein.); — subtus flavoalbidus, nigromaculatus: maculis parvis, crebris, oblongis vel subcordatis. Latera capitis fuscostriolata. Vitta malaris in utroque sexu angusta, fusca. Superne fuscovirens, immaculatus; pileo *maris* rubro, fronte virentifusco; *feminæ* toto fusco. Rectrices fuscæ, extus paullum virescentes, subtus flavidomicantes. Parvus, ala 80 mm. (Malh.). — *Afr. occid.*, sub æquatore: Gabon. — (Obs. In descr. Malherbii dig. 4:tus tertio longior dicitur. Incertum an hoc loco enumerandus sit).

185? PICUS (Polipicus) *ellioti* Cassin, Philad. Proc. 1863, 196, et — Trans. 1863, tab. 51; — *Femina:* superne virescens, immaculata, alis extus luteo-, uropygio rubido-micantibus, pileo toto nigro. Gastræum sordide flavoalbidum, nigrostriolatum. Remiges omnes extus immaculatæ, intus maculis majoribus albidis; scapis supra fuscis, *subtus flavoalbidis.* Tectrices subalares albidæ, nigromaculatæ. Rectrices nigrofuscæ, subtus flavoviridi-micantes; laterales in pogonio interno maculis sordide pallescentibus. (Scapi?). Latera capitis sordide fulvopallida, vittis ordinariis nullis. Rostrum subalbidum, max. superiore basi longius fuscescente. Ala ($3\frac{3}{4}$ p.) 95 mm. — *Africa occidentalis,* ad flumen Muni, juxta mare, sub æquatore. (Cassin).

Obs. Avem hanc, quam non vidi, hoc loco, post præcedentem, mihi non magis cognitam, dubius affero, eas vero inter se affines esse suspicor. Forte prope Tribus nostras 8vam vel 9am enumerandæ?. P. ellioti a primo descriptore affinis Picis viridibus et præsertim Tribui P. punicei (nostri n:o 168) habetur, a quibus tamen differt magnitudine exigua, "digito 4:to longiore quam 3:tio", picturâque omni. Præterea de forma dicitur: ala elongata, pennâ 5:ta longiore; cauda elongata; rostrum subrectum, basi latum. (Apex, carinæ, furca menti, nares, non descriptæ).

*b*) Superne flavidovariegati,

subtus flavoalbidi, nigromaculati; rectrices maculatæ vel subfasciatæ. *Mas* pileo vittaque malari rubris (pileus vero antice potius fuscus, rubromaculatus); *femina* pileo nigro, alboguttato, postice rubro, vittaque malari albovaria. — Remiges primariæ et cubitales extus albidomaculatæ. Notæ albidæ dorsi et tectricum alarum, in singula pluma 2 v. 3, in senioribus minores, maculas circa scapum exhibentes, in junioribus plerumque latiores, fascias formantes. — *Africani.* (Gen. Chrysoptilus Sw.; Chrysopici pars Malh.; Ipagrus Mus. Hein.).

186. PICUS *bennetti* A Smith, Report 1836, 53 (Chrysoptilus; tantum ♂); — Mus. Hein. 123 (Ipagrus; non bene descr. nec synon. corr.); — *P. variolosus* Licht., Malh. II, 165 (et t. 95, lapsu "*P. abingtoni*" inscriptus); — *Mas:* gula et lateribus capitis (cum vitta ad nares ducta) pure flavoalbis, immaculatis; vitta malari lata pileoque toto rubris (plumis basi nigrocinereis); — *Femina:* gula lineaque a naribus, sub oculo ducta, pone oculos valde dilata, rufescentinigris; vitta malari latissima et v. postoculari angustiore, albidis, tenuius nigrostriolatis; pileo nigro, crebre alboguttato, postice rubro. — *M.* et *fem.* Corpus superne obscure

fuscescens, fasciis maculisve flavoalbidis pictum: 1 apicis et 1 media cujusque plumæ. (Fasciæ 5 albidæ spatium fere 21 mm occupant; in mare seniore abbreviatæ, maculas circa scapum exhibent). Uropygium æque flavescenti et fusco fasciatum. Gastræum (præter gulam) sordidius flavum, maculis parvis nigris guttatum. (Maculæ antice rotundatæ, dein oblongæ, in medio ventris nullæ, in lateribus transversæ; magnitudine sat variabiles: majores, in gutture inferiore, lat. $1\frac{1}{2}$—3 mm; in senioribus fere majores, quam in junioribus, apparent). Alæ extus albidomaculatæ. Maculæ remigum cubiti posteriorum fascias albidas, (in mare seniore late interruptas) formant. Remiges primariæ extus, in mare seniore, immaculatæ; in reliquis, maculis parvis albidis notatæ. Rectrices fuscæ, plus minus distincte pallidifasciatæ, subtus flavidonitentes; apice nigricantes. Scapi remigum et rectricum supra subtusque flavissimi. Rostrum nigrofuscum, carinis nasalibus debilibus, culmini propioribus. Iris rosea. Ala: maris 122—127; feminæ circa 120 mm. — Hab. in *Caffraria superiore* (intra fines Reipublicæ hodiernæ transvaalensis; circa 24° Lat., unde plura specimina attulit J. Wahlberg. (M. Stockh.).

187? PICUS *capricorni* Strickl. & Sclater, Contrib. to Orn. 1852, 155 (Campeth.); — Malh. II, 169; — *Mas* simillimus præcedenti, differt vero rostro paullo fortiore, et uropygio nigromaculato: fasciis in maculas solutis. Plumæ enim flavoalbæ, macula intra apicem cordata fasciisque 2 vel 3 interruptis, pictæ. Maculæ quoque gastræi minores dicuntur. Ala 123 mm. — Hab. in *Africa merid.* ad occidentem, circa tropicum capricorni (Auctt. citt.). Femina ignota.

188. PICUS *chrysurus* Sw. dorso punctis flavescentibus maculato (nec fasciato); gula lateribusque capitis plus minus nigrovariis; gastræo flavoalbido longitudinaliter nigromaculato: maculis majoribus in apices plumarum productis et cum nigredine basali conjunctis (indeque medio angustis, quasi a binis compositis). Rostri carinæ nasales fortiores et a culmine paullo remotiores, quam hæ carinæ in reliquis sp. Rectrices fuscescentes, maculis pallidis interrupte fasciatæ: subtus flavomicantes, apice flavescentes; scapo superne flavissimo, subtus pallidius flavo. Scapi remigum superne fuscoflavescentes; subtus læte flavi. *Mas* pileo vittaque malari rubris, plumis basi late cinereofuscis (unde pileus antice fuscus, rubromaculatus). *Femina* pileo nigro, alboguttato, (guttulis rotundis, diam. 1 mm; nec in striolas formatis), postice rubro; vitta malari albonigroque varia (plumis nigris, macula apicis albida)

*a*) Occidentalis, *P. chrysurus* Sw. W. Afr. II, 158; — Hartl. W. Afr. (ex Sw.); — Mus. Hein. 128; — colore magis grisescens minusque flavotinctus, lateribus capitis nigromaculatis. Præterea sequenti simillimus ab auctt. citatis exhibetur. Magnitudo varia videtur: ala 106 mm (4″, 2 angl. Sw.) vel 120 mm (4″ 9 Germ. Mus. Hein.). *Afr. occid.* Sw.; *Casamanze* (Gambia, $12\frac{1}{2}$° Sept.) Mus. Hein. — Ipse hunc non vidi; neque cl. Malherbio exinde cognitus. Curatius igitur inquirendum an specimina re vera ex Afr. occid. allata sint?

*b*) Meridionalis, *P. abingoni* A Smith Report 1836, 53 (Chrysoptilus); — *P. chrysurus* Malh. II, 153, t. 94; — undique lætius flavoindutus, sed scapi remigum superne fusciores. Latera capitis cinerea, scapis tenuibus nigris striolata; inferius non albidiora, postice nigro-

maculata. Maculæ gulæ parvæ, discretæ, oblongæ; in femina apices plumarum attingentes ibique dilatatæ. Maculæ gastræi reliqui angustæ, sed longæ. Maculæ dorsi et tectricum flavescentes, in singula pluma duæ: altera in apice, altera in medio scapi; parvæ subrhombicæ, non in fascias dilatatæ, sed striolâ scapi longa, tenui, albida, conjunctæ. Uropygium irregulariter fasciatum. Rostrum nigricans, subtus paullo pallidius. Diff. sexus et cet., conf. descr. generalem. Ala, ♂ 103; ♀ 109 mm (et fere ita in omnibus speciminibus nostris). R. culmen 23 mm. — Habitat in *Caffraria*, circa Portum Natal, unde specimina multa, mensib. Junio et Julio occisa, nobis attulit J. Wahlberg. — Hæc forma proxime ad P. notatum accedit. A cl. Gurney, B. of Natal., Ibis 1862, 37, nomine "*P. Smithii* Malh." exponitur, quod minus rectum videtur. Hi tamen Pici, hoc loco, non nisi dubie separantur. Colore quidem generali et formâ macularum distincti videntur; an vero constanter differant, ideoque species distinctæ habendi sunt, ulteriore examine determinandum est.

Obs. *Chr. calliaudi* Malh. II, 167 (fig. nulla), nil aliud videtur nisi juvenis hornotinus hujus *(b)*. Hinc forma rostri brevis, acuta, carinis fere obsoletis, et pictura paullo sordidior. Cl. Malherbe duo tantum specimina noverat, quæ feminas, seniorem et juniorem, habuit; quorum hoc, ad *Portum Natal* d. 26 Dec. 1839 occisum, in museo Stockh. invenitur, mihique hodie ad manum est. Quod præter dubium est specimen juvenile avis nuper descriptæ. Ab adultis præcipue differt maculis gastræi latioribus et brevioribus, rotundatis, minus in apicem plumæ excurrentibus et striolâ tenui cum macula basali, occultata, conjunctis. Maculæ gulæ latæ, sed fere obtectæ. Maculæ quoque albidæ dorsi, paullo majores. Pileus nigrofuscus, antice crebre albopunctatus; medio (triturâ?) immaculatus, postice ruber. Reliqua fere ut in senioribus, sed specimina nostra hujus avis, omnia, paullulum inter se differunt. Striolæ inter maculas dorsi, in descr. citata, nigræ dicuntur, et in plumis dorsi anterioribus, brevioribus, spatium inter maculas latius, nigricans, adest, ubi scapus niger; sed in plumis longioribus, ut in avi seniori, scapi albidi sunt. Ala 102 (nec 108) mm. Rostri culmen 21.

Alterum specimen Malherbio cognitum, in museo Nantesiano asservantum, patriâ ignotâ, a Stockholmiensi differre dicitur: pileo, etiam medio, albopunctato, et "scapis rectricum! superne fuscescentibus"; mihi vero ignotum.

189? PICUS *smithii* Malh. R. Zool. 1845, 403; — *P. abingtoni?* Bp. Csp. 128; — *Mas*, vix vel parum flavescenti-tinctus, superne fuscus, albidofasciatus, subtus sordide albidus, longitudinaliter nigromaculatus. Latera capitis fuscoalbida, superne posticeque nigromaculata, vitta paullo pallidiore, vix vel parum nigrovaria, a naribus, sub oculos auresque ducta, lata, indefinita, maculaque pone oculos nigra, irregulari picta. Apices rectricum minus flavescentes (resinâ quadam obliti indeque potius fusci dicendi). Pictura pilei, alarum et caudæ, etsi color paullo obscurior, exacte ut in præcedente *(b)*. Scapi remigum et rectricum utrinque læte flavi, (scapi remigum superne vix infuscati). — Pictura totius

gastræi, generatim ut in præcedenti et maculæ eodem modo formatæ, sed tamen sat variabiles. Alterum specimen nostrum (*mas* junior, sed 2:do habitu?) in gula totoque gastræo, exacte ut pleraque præcedentis, maculis angustis pictum; alterum vero (evidenter *mas* senior, rostro validiore) maculas habet gutturis medii et inferioris latas, extremitate angustiore in apicem plumæ excurrentes. Hinc pluma qvævis nigra, limbo, vel maculâ, ad utrumque latus apicis sita, albidâ. Quædam etiam maculam mediam, albidam, exhibent. Maculæ nigræ menti perparvæ, formâ variæ, sed in apicibus plumarum latiores; gulæ posterioris latiores; plumæ enim basi margineque nigræ, maculam rotundatam albidam, nigrocinctam, exhibent; sed plumæ laterales, juxta vittam malarem sitæ, albidiores, puncto medio, oblongo, nigro, notatæ. — Pictura dorsi, a præcedentis, in eo differt, quod plumæ fasciis irregularibus, albidis, pictæ sunt. Hæ fasciæ in plumis posterioribus 2 vel 3, in anterioribus solitariæ adsunt; macula vero apicis in omnibus parva, oblonga, adest. Rostrum fortius, longitudine culminis circiter 26 mm, totum nigrofuscum. Ala senioris 111 mm; alterius 115. — *Femina* mihi ignota. — Specimina duo descripta, in regione Caffrariæ edita, montana, intra flumen Limpopo, prope tropicum Capricorni sita, ab amico defuncto J. Wahlberg, d. 29 Oct, et 11 Nov. 1843 occisa.

Hic, etsi præcedenti simillimus, ab eo distinctus videtur. Differt præcipue: dorso fasciato, picturâ capitis laterali paullum diversa rostroque majore (sed forma rostri simillima). Color obscurior, minus flavescens, triturâ plumarum forsan oritur et anni tempestati proprius esse potest? — Hæc pici forma confusionem quandam sp. affinium in Monogrophia Malherbiana attulisse videtur; sed in descriptione P. chrysuri et inter synonyma hujus et P. benetti memoratus apparet.

190. PICUS *brucei* Malh. II, 170, t. 93; — gutture toto lateribusque capitis nigris, alboguttatis; vitta genarum latissima, alba a naribus in latera colli ducta. *Mas* pileo vittaque malari ut in præcedenti, rubris, plumis basi longe fuscis. Corpus superne fuscum, maculis transversis virescentibus et uropygio fasciato; subtus viridialbidum, maculis nigris, sagittatis vel V-formibus. Scapi rectricum utrinque flavi; (remigum?). Alæ ut in præcedenti pictæ. Cauda flavescentifusca, colore nigriore fasciata, apicibus fuscis. Ala 105 mm. *Femina* ignota. — Habitat in *Africa meridionali* "apud Betjuanas". (Malh.).

Obs. Hæc sp. mihi ignota, maxime affinis præcedenti apparet. Differt quidem pictura capitis laterali distinctius alba nigraque, et, ut videtur, plumis totius gutturis nigris, macula centrali alba. Vix tamen impossibile videtur, hanc non esse nisi statum perfectiorem præcedentis, qua de re judicent illi, quibus ambos propius cognovisse contigerit. Specimen P. smithii, a Malh. l. c. descriptum, intermedium fuisse videtur.

191. PICUS *notatus* Licht. Verz. p. 11; — Malh. II, 162, t. 95; — Mus. Hein. 127; — fuscior, lateribus capitis cinereis, creberrime nigromaculatis albidoque striolatis; gastræo toto, cum gula, sordide flavido, maculis magnis, rotundis, nigris, crebre vario; scapis remigum et rectricum superne fuscis, subtus sordidius flavis. — *Mas* plumis pilei vittæque malaris nigris apice rubris. *Femina* occipite rubro; pileo

reliquo vittaque malari nigris, albovariis: guttulis pilei rotundis. — Dorsum viridifuscum, parce flavido punctatum, e puncto minimo, obscuro, in apice cujusque plumæ. Punctum alterum, in scapo medio situm, vix majus, sed purius albidum. Hoc et striola tenuissima alba ipsius scapi, plerumque obtecta. Uropygium dorso concolor, fasciis crebris, flavidis, punctatim interruptis. Maculæ gastræi ubique fere æque crebræ; maximæ, circa guttur infimum sitæ, reniformes, transversæ, usque ad 6 mm latæ; aliæ, ad latera pectoris, minus latæ, sed longiores, cordatæ; minimæ, in gula et in medio ventris sitæ, rotundatæ, circa 2 mm latæ. Remigum maculæ internæ majusculæ; externæ, in primariis definitæ, albidæ, non parvæ; in cubitalibus multo minores; in pennis ultimis lineolas transversas, tenues, interruptas, formant. Rectrices nigrofuscæ, superne parum, subtus lætius viriditinctæ; fasciis 6—8 angustis, interruptis, definitis, flavoalbidis pictæ; apice flavescentes, (apex vero sæpe resinâ oblitus, fuscus apparet). Rostrum fuscum, subtus pallescens; long. culmis 22 mm. Ala circa 104 mm (♂, ♀). (Mus. Sthm.). — Hab. in *Africa maxime meridionali:* intra coloniam capensem et in Caffraria adjacente, (sed non prope Portum Natal).

192. PICUS *nubicus* Gm.; Lath. 24 (Pic de Nubie Buff. et Pl. Enl. 667); — Malh. II, 159, t. 93. — Mus, Hein. 125; — *P. æthiopicus* Hempr. & Ehr. Symb. Phys. Dec. 1, nota; — Rüpp.; — (et in iconib. Malh. tab. 94, minus bonis); — superne virentifuscus, latius albidomaculatus; subtus flavoalbidus, maculis rotundis varius, gula, cum gutture medio ventreque medio immaculatis. Latera capitis cinerea, nigrostriolata, linea angustiore a naribus, juxta vittam malarem, aliaque pone oculos, superciliari, albis. *Mas* pileo toto vittaque malari rubris; *femina* occipite rubro; pileo reliquo vittaque malari nigris, alboguttatis. — Maculæ dorsi et tectricum majores, plerumque transversæ, fascias exhibentes et scapi tenuissimi, albidi; sed in *mare* vetere, maculæ minores, fere rhombeæ. Uropygium fasciatum; fasciæ tergi in maculas rotundas solutæ. Maculæ gastræi minores quam præcedentis: maximæ, in gutture infimo, circiter 3 mm latæ, plus minusve cordatæ. Latera colli præsertim crebre maculata. Scapi remigum et rectricum supra subtusque flavi. Remiges præterea ut in præcedente, sed maculæ externæ cubitalium latiores. Rectrices dilutius fuscæ, apice flavidæ; fasciis latioribus, sordide pallescentibus, minus late interruptis. Rostrum fuscum, culmine 25 mm. Ala 111 mm (m. & f. sed unus mas 107. M. Stockh. Specimina numerosa). — *Senaar, Cordofan, Abyssinia.* — (Femina juv. pileo medio late immaculato).

193. PICUS *punctatus* Cuv. Valenc. Dict. 1826; — Sw. W. Afr. II, 163; — Mus. Hein. 124; — *P. punctuligerus* Wagl. Syst. sp. 36; — Malh. II, 164, t. 92; — superne dilutius virentifuscus, albidomaculatus, subtus pallide flavus, crebre nigropunctatus; lateribus capitis albidis, pone oculum leviter infuscatis. — *Mas* pileo vittaque malari rubris. *Femina* pileo nigro, crebre albo-striolato (nec guttato), postice rubro; vitta malari nigra, albomaculata. — Maculæ dorsi seniorum rotundatæ, minores; juniorum transversæ. Tergum et uropygium fasciata. Gastræi punctá rotunda, minima: diametro vix 1 mm; in plumis singulis plura: antepectoralia 5 v. 7, circa scapum, in serie, cum margine fere concen-

trica, disposita. Puncta in gula rariora, in ventre medio nulla. Remiges et rectrices ut in præcedenti pictæ, scapis supra subtusque flavis. Ala circiter 125 mm. Carinæ rostri nasales tenues et culmini paullo propiores quam in sp. præcedentibus. — *Juv.* hornot. pileo nigrofusco, non albostriolato, sed postice rubro (Mus. Berol). — *Africa occidentalis* (Senegambia).

194. PICUS *imberbis* nob. — *Chrysopicus malherbei* Cassin Philad. Proc. 1863, 198, — et Transact. 1863, 459, tab. 51 (nec P. malherbei Gray, supra n:o 5); — superne flavidovirens, maculis rotundatis albidis, pennis cubiti apice albidis, præterea extus immaculatis. Pileus ruber, vitta malaris nulla! Gastræum pallide flavum, maculis rotundatis nigris varium. Rectrices flavo-fuscescentes, scapo apiceque flavis; laterales obsoletius fasciatæ (reliquæ immaculatæ?). — Latera capitis parum, gula vix nigrovaria. Maculæ gastræi similes eis in P. nubico videntur, sed in ventre medio parvæ adsunt. Remiges manus nigrofuscæ, extus intusque albidomaculatæ; (scapis?). Minor: Ala ($3\frac{3}{4}$ poll. angl. =) 96 mm. — *Africa occidentalis tropica* (Zanzibar). Cassin l. c. — Ab affinibus differt vitta malari nulla, unde nomen petivi, sed avem non vidi.

## TRIBUS 21. *Pici aratores.*

Rostrum longius: capiti subæquale, fortius compressum et evidentius curvatum, sutura quoque leviter arcuata; apice depresso, rotundato (neque compresso, cuneato-acuto). — Carinæ nasales fere obsoletæ, prope culmen sitæ. Furca menti longior quam dimidia sutura. Sp. cognita fuscescens, tergo ventreque rubrotinctis, capite cinereo, superne non rubropicto. Remiges extus intusque maculatæ: maculis in cubitalibus 8; quarum ultima in ipso apice sita. Cauda elongata: paullo longior quam $\frac{3}{4}$ alæ; fortius rotundata, pennis (ut præcedentium) rigidis, acutis, apice bifidis, et pallidis. Rectricum fasciæ inter Picos plurimæ, sc. 12, et, in pog. externo pennæ lateralis, 14. Scapi remigum et rectricum superne fusci, subtus sordidius flavi. Digitus 4:tus tertio multo brevior. (Gen. Geocolaptes Burch.).

195. PICUS *arator* Cuv. R. An.; — Wagl. sp. 86; — Malh. II, 274, t. 111. — *P. olivaceus* Gm.; Lath. sp. 54 (ex Gen. Syn. I, 599, 50); — Vieill. Enc. 1323; — superne fuscescens, vix virentitinctus, pallide punctatus, tergo ventreque roseis. — Ala 126—130 mm (Mares feminis paullo minores videntur). Caput et collum sordide cinerea, gula sordide albida. Pictura capitis nulla, præter plumas vittæ malaris, in *mare,* apice obscure rubris (in *femina* immaculatis). Dorsum cum alis fulvescentifuscum punctis plumarum parvis, marginalibus, transversis, pallidis; in alis majoribus, albis. Tergum rubrum, paullum pallidivariegatum. Pectus dilutius rubrum, lateribus crissoque pallidius fuscis, albido fasciatis. Remiges utrinque albomaculatæ. Rectrices superne nigrofuscæ,

subtus luteonitentes; utrinque fasciis angustis definitis, albidis. Apices rectricum flavescentes (et sæpe, præsertim subtus rubro-inquinatæ). Tectrices caudæ, picturâ, præter apicem, rectricibus similes et insolite magnæ: medium caudæ fere superant, latæ, firmæ (Mus. Sthm.). — Habitat in *Africa maxime meridionali*, circa urbem et per coloniam capensem. Etiam circa Port Natal a J. Wahlberg inventus (Januario, habitu trito). Terram effodiendo insectis vermibusque vescitur, cortici arborum parcere dicitur.

Juv. tergo pectoreque vix vel obsolete rubro-lavatis; dorso vix pallidipunctato; rostro breviore.

---

## 4:o. *Pici Ligonirostres flaviscapi, Americani.* (Tr. 22—26).

### TRIBUS 22. *Pici canipilei.*

Sp. minores, *rostro* capite multo breviore, culmine curvato, apice acuto, leviter cuneato, angulo menti sub $\frac{2}{3}$ suturæ sito; carinis nasalibus tenuissimis, juxta culmen sitis. — *Corpus* superne fuscescens, luteo tinctum, immaculatum (in senioribus paullum rubidolavatum); subtus transversim fusco flavidoque varium. *Scapi* remigum et rectricum supra fusci, subtus flavi.

*Pileus* maris fuscescens, ambitu, postice latissimo, rubro; plumis quoque mediis, in senioribus, apice rubris; — feminæ fuscescens, tantum postice, vel non, ruber. — *Vitta malaris* magna; maris rubra; feminæ nigro pallidoque varia. — *Remiges* intus pallide fulvæ, non maculatæ. *Rectrices* omnes longius acutæ, sat gradatæ; corpori fere concolores, apice nigricantes; non vel obsolete fasciatæ: fasciarum vestigia, dum adsunt, fere 10. — *Digitus* 4:tus tertio brevior. — *Americá merid. tropicá.* — (Chloronerpes Sw. — Mus. Hein. 161).

196. PICUS *canipileus* Lafr. d'Orb. Voy. — Malh. II, 173, t. 90; — Mus. Hein. l. c. — dorso alisque æque lutescenti tinctis, gastræo antico regulariter fusco flavidoque fasciato, ventre reliquo (a sterno medio) flavescente, pallidius vel obsolete fasciato. Latera capitis albida, fere immaculata vel tantum postice (ad collum) fuscovaria. Pictura capitis et diff. sexus v. descr. generalem Tribus. Ala 125—130 mm. — ♂ vetus gula nigra, albidoguttata, uropygio lætius flavescente, non fasciato. Venter flavescens, vix fasciatus. Ex *Peru* Mus. Berol. — ♂ junior? gula tota albida, longit. nigrostriolata. Uropygium flavescens, fuscofasciatum. Venter evidentius fasciatus. Malh. — *Peru, Ecuador.*

197. PICUS *rubiginosus* Sw. Z. Ill.; — Malh. II, 174, t. 89; — Mus. Hein. l. c. — dorso alisque concoloribus, fuscis, luteotinctis; gastræo toto regulariter fusco flavidoque fasciato (fasciis flavis posterius latioribus). Latera capitis antice albida, pone oculos fusciora, crebre transversim variegata. Pict. capitis et diff. sex. v. supra. — ♂ senior:

gula nigra, crebre albo guttata; uropygium lætius fulvescens, non fasciatum, postice rubrolavatum (etiam in ♀ seniore); rectrices laterales inmaculatæ. (*Guyana*, M. Berol.). — ♂ junior gula antice (mentum) cinerascens, longit. nigromaculata, postice ut gastræum fasciata; uropygium fuscovirens, flavidofasciatum; rectrices laterales vestigiis obsoletis fasciarum fuscarum variæ (Caracas M. Stockh.; Malh.). — Ala 115—120 mm. — *Guyana, Venezuela, Ecuador* (Mus. Hein. sed vix Yucatan, ut dicit Malh.).

198. PICUS *yucatanensis* Cabot, Boston Journ. 1845; — Mus. Hein. l. c.: — *Chl. uropygialis* Cabanis, Journ. 1862, 321; dorso antico alisque concoloribus, fuscis, luteotinctis; tergo c. uropygio lætius viridi (non fasciato). Latera capitis tota pallide fuscovirentia, pone oculos obsolete, longit. fuscostriolata. Gula virentifusca, longit. albidomaculata; Gastræum reliquum fuscovirens fasciis angustis flavoalbidis. Pileus nigrocinereus ambitu postico late rubro. Ala 127 mm. (Mus. Berol.). — Ex *Costa rica* (s. isthmo Americæ medio) et *Mexico.*

199. PICUS *æruginosus* Licht. Mus. Berol. — Malh. II, 171, t. 90; — Mus. Hein. 161; — *Chl. yucatanensis* Cab. Journ. 1862, 321; — dorso toto c. uropygio sordide viridi; alis extus fusco-lutescentibus (limite colorum bene distincto). — Gula albida, fuscostriolata; gastræum reliquum fusco flavidoque fasciatum, fasciis curvato-flexuosis. Latera capitis albida, pone oculos fuscostriolata. Cauda fere tote fusca. Diff. sexus ex pictura capitis ut in præcedentibus. Ala 130—135 mm. — *Mexico* (Mus. Britann. et Berol.).

Obs. *P. perspicillatus* Malh. (II, 176) t. 114 (nec P. persp. Licht. qui=canipileus); — P. rubiginosus Gray Gen. tab. CX (nec Sw.); — Icones citatæ ostendunt gastræum fuscoviride, maculis majusculis, definitis, subtriangularibus, flavoalbidis, crebre varium, et reliqua quæ apparent (pictura capitis) ut in P. rubiginoso juniore. Descriptio vero Malherbei fere omnino P. rubiginosum seniorem exhibet, maculasque gastræi non memorat. Alam vero adhuc minorem: "108—115 mm" dicit. *Trinidad* et *Columbia* pro patria afferuntur. — Incertum an sp. distincta, vel confusione et icone falsa orta? Icon Malherbei est imitatio iconis in opere Grayi expositæ, quæ igitur originaria.

---

## TRIBUS 23. *Pici rivolii.*

*Rostrum* elongatum; capite fere longius, ceterum vero exacte ut in Tr. præcedenti formatum.

Sp. cognita major, dorso alisque immaculatis (rubris), pectore squamoso-maculato. — Pileus et vitta malaris maxima, *maris* rubri, *feminæ* nigri. — *Cauda* omnino ut in Tr. præcedenti formata; tota nigricans, scapis supra subtusque nigricantibus. *Remiges* fuscæ, intus pallescentes, non maculatæ, scapis supra fuscis, subtus flavis. Digitus 4:tus tertio parum brevior. *America merid.*

Sp. unica cognita sat affinis Tribui Pici viridis Picisque flavinuchalibus, sed præsertim Tribui præcedenti, etiamque sequenti. Gen. Hypoxanthus Bonap.

200. PICUS *rivolii* Boiss; — Malh. II, 267, t. 112; — superne ruber uropygio flavescente, fuscofasciato. — Pileus et vitta malaris *maris* rubri, *feminæ* nigri. Latera capitis collique sordide flava. Gula nigra, crebre pallidipunctata. Jugulum et pectus anticum nigra, lineolis transversis, valde curvatis, albis, nigro-cinctis, marginibusque plumarum rubidis ornata. Venter reliquus sordide flavus, antice lateribusque paullum nigromaculatus. Remiges fuscæ, non maculatæ, sed intus pallescentes, scapis subtus flavis. Cauda fere tota nigra, scapis concoloribus, vel lateralibus subtus flavidis. Ala 140—145 mm. — *Columbia* (Bogota. Mus. Stockh.).

## TRIBUS 24. *Pici aurati.*

Sp. submajores, grisescentes, capite fere concolore, non nigropicto (pileo non rubro sed fascia occipitis interdum rubra); rostro longiore. Corpus superne imperfecte nigrofasciatum, uropygio albo; subtus maculis rotundis fasciaque antepectorali nigris pictum. — *Remiges* superne nigræ, subtus fortius flavo vel rubro-micantes; primariæ extus maculis perparvis, marginalibus, notatæ, intus late pallidæ; cubitales extus maculis fere 8, intus totidem, sed basim versus confluentibus; scapis totis supra subtusque flavis vel rubris. *Rectrices* supra nigræ, subtus, ultra $\frac{2}{3}$, rubræ vel flavæ, apice nigræ, scapis supra subtusque flavis vel rubris, apice nigris. Rectr. omnes apice longius acutæ, fortius gradatæ; margine externo, in lateralibus albidomaculato, in mediis tenue albidomarginato. — Rostrum capite fere longius, culmine arcuato, acute carinato; apice subacuto, leviter cuneato; angulo menti ante mediam suturam producto; sutura quoque paullum arcuata. Carinæ nasales obsoletæ, rarius juxta culmen observandæ. — Pedes fortes digito 4:to paullo breviore, quam 3:tio. — *America septemtrionalis* minus frigida. — Genus Colaptes Sw. — (Geopicus Malh. pars).

*a*) Remiges et rectrices subtus flavomicantes, scapis utrinque flavis.

201. PICUS *auratus* L. — Cuculus aur. L. X (ex Catesb. 18); — Picus aur. L. XII; — Lath. 52; — Wils. — Audub. — Malh. II, 255, t. 109; — pileo cerviceque cinereis, fascia occipitis (utr. sexus) rubra; gutture lateribusque capitis dilute griseorubidis. Vitta malaris *maris* nigra, *feminæ* nulla. Ala 150—160 mm.

Corpus superne cum alis rubidogriseum, striolis nigris, 2 mm latis et circa 5 mm inter se distantibus pictum; uropygio albo; — subtus albidum, maculis rotundis nigris, circiter 4 mm latis. Fascia pectoralis

nigra, circiter 15 mm lata, utrinque attenuata. Alæ subtus flavomicantes, scapis flavis. Rectrices subtus flavissime micantes, scapo flavo, apice ($\frac{1}{4}$—$\frac{1}{3}$ pennnæ) nigro. (Descr. specialis remigum et rectricum v. supra). Rostrum totum nigrum. — *Juv.* hornotinus similis veteri, sed rostrum paullo brevius, apice obtusiusculum. Pileus interdum rubido varius. — In *America septemtrionali ad orientem*, a sinu mexicano ad lat. 50⁰ (vel ultra?), frequens.

201 *b.* *Picus* hybridus *aurato-mexicanus.* — *Colaptes hybridus* Baird, Rep. 1858, 122; — *Col. ayresii* Audub.; — Malh. II, 260 (fig. nulla); — Avis a P. aurato et P. mexicano hybrida et notas ab utroque gerens, ita vero variabilis ut vix duas exacte similes invenias. Varietates principales, (sec. Baird, l. c.) hæ fere sunt:

A. similis P. aurato, sed vitta malari nigra, plus minusve rubro-varia.
B. id. gutture superiore cinereo.
C. id. vittâ malari rubra. Pileus colore griseorubido colli laterumque capitis pictus (P. ayresii Auct.), vel etiam, ut in P. aurato, cinereus.
D. id. fascia occipitali parva, vel, præsertim in junioribus, nulla.
E. scapis remigum et rectricum aurantiis, vel plus minusve ad rubidum accedentibus; color dorsi obscurior et cet.

Habitat in regionibus, ubi conveniunt parentes; non rarus.

202? PICUS *chrysoïdes* Malh. R. Z. 1852; — Mon. Pic. II, 261, t. 109; — Baird Report 1858, 125; — pileo cerviceque foscorufescentibus, fascia occipitali nulla; gutture lateribusqne capitis cinereis; plaga pectorali nigrà majore. Vitta malaris in *mare* rubra, in *femina* nulla; reliqua ut in P. aurato, sed multo minor: ala 145 mm (Malh.); 133 mm ($5\frac{1}{4}$ poll.; Baird.). Inventus in *California*, Malh.; ad limites *mexicanos*, Baird. Incertum videtur an hæc etiam avis sit hybrida. Corpus P. auratum, caput P. mexicanum refert.

*b)* Remiges et rectrices subtus rubro micantes, scapis rubris.

203. PICUS *mexicanus* Sw. Phil. Mag. 127; — Malh. II, 262, t. 110; — Audub.; — *P. rubricatus* Licht. Wagl. Isis 1829, 516; — pileo cerviceque fuscis (obscure rufescenti cinereis) ante et supra oculos lætius rufis, fascia occipitis nulla; gutture lateribusque capitis pure cinereis; vitta malari *maris* rubra, *feminæ* nulla. Remiges et rectrices ut in P. aurato, sed dilute rubræ, ubi illius flavæ. — Ala circa 163 mm (juv. 155). Magnitudo paullum variat; sp. meridionalia plerumque minora (Baird). Lorum et regio superciliaris lætius rufescentia. Dorsum obscurius quam in P. aurato. Scapi rectricum basi, vix ultra medium rubri. Maculæ ventris plerumque paullo majores quam in P. aurato et fascia pectoralis latior (20—25 mm); sed in genere pictura eorum simillima, si rubrum flavumque commutas. Striæ dorsales ut in altera sp. — Remigum 5:ta in P. mexicano, 4:ta in aurato, plerumque ceteris longior; sæpe vero in utraque sp. æquales, vel vice versa, inveniuntur. — Hab. in *America sept. occidentali:* Mexico, California, Ins. Quadra: M. Stockh.

204. PICUS *submexicanus* n. = *P. mexicanoïdes!* Lafr. — Malh. II, 265, t. 110; — simillimus præcedenti; differt pileo cerviceque læte

rufis (cinnamomeis), limite definito a colore cinereo distinctis; fasciis nigris dorsi alarumque multo latioribus, interstitiis magis rubidomicantibus, angustioribus. Vitta malaris *feminæ* rufa; *maris* intensius rubra. Ala 150 mm. (M. Berol.). Habitat in *California* et *Mexico* Malh. *Guatimala* Mus. Berol.

## TRIBUS 25. *Pici flavifasciati*

Sp. mediæ vel subminoris magnit:s, rostro capite paullo breviore, apice cuneato; dorso alisque nigris, flavidofasciatis, uropygio flavidiore; gastræo flavido, nigromaculato. Pileus utriusque sexus cum tota fronte niger, postice late ruber; (plumis rubris elongatis, dependentibus, cristam vero non exhibentibus). Vitta malaris magna: *maris* rubra; *feminæ* nigra, plus minusve albidovaria.

Latera capitis, a naribus ad cervicem, flavo-albida. Pictura gulæ, a pictura gastræi reliqui diversa, usque ad jugulum medium continuata. Remiges nigræ, extus intusque flavido-maculatæ, maculis majusculis, marginalibus; intus, in primariis confluentibus; in cubitalibus 7 v. 8, præter marginem apicis albidum. Rectrices omnes longius acutæ; pleræque nigræ, apice concolores; laterales, utrinque 2, flavido fasciatæ: fasciis fere 11, situ, ad latera scapi, alternis. Rectrices mediæ paris striolis marginalibus, transversis, flavidis pictæ. Scapi remigum omnium et rectricum lateralium utrinque flavi. — Digitus 4:tus tertio paullo brevior. Rostrum ante apicem compressum; culmine leviter curvato, altius, acute carinato. Sutura bis, leviter arcuata (s. levissime S-formi). Carinæ nasales debiles, vel fere obsoletæ. Furca menti longa: mediam suturam excedit. — Habitant in *America intertropica*. Genus Chrysoptilus Sw. 1831; Mus. Hein. 163. (Chrysopicus, pars, Malh.).

*a*) Minores, gastræo punctis rotundis, parvis (lat. 1—2 mm) insperso; gutture superiore nigro, albomaculato (plumis nigris, maculis 2 latis albidis ante apicem ornatis).

205. PICUS *punctigularis* (Sclater; *P. punctigula* Bodd. ex Pl. enl. 613); — Gray. Gen.; — M. Hein. l. c. — *P. cayanensis* Gm.; Lth. 43 (ex Briss. sp. 27); — Wagl.; — Malh. II, 179, t. 87; — superne fulvovirens, fasciis nigris angustis, flexuosis, interruptis; uropygio flavido, paullum rubro-lavato, crebrius nigromaculato, maculis cordatis vel rotundis, circa 2 mm latis, postice majoribus. Subtus sordide flavus, nigromaculatus; gutture infimo sordidiore, rubro-lavato; ventre antico punctis mediis majoribus ($2\frac{1}{2}$ mm latis); ventre medio purius flavo, vix vel non maculato. Guttur superius nigrum, maculis albis crebris, rotundatis. Caput, remiges et rectrices ut descr. generalis. Rectricum lateralium fasciæ nigræ et fulvo-albidæ fere æquales, integræ, in pogoniis sub-alternantes. Ala circiter 105 mm. (M. Stockh.). — *Guyana*: — *Brasilia septemtr.* (Para; M. Berol.).

206. PICUS *punctipectus* Mus. Hein. 163 (Chrysoptilus); — *P. hypostictus* Mus. Berol. 1864; — *Mas* simillimus præcedenti, sed lætius coloratus, uropygio purius flavo, fere immaculato; ventre immaculato, antice purius flavo; pectore antico solo punctis minoribus, nigris maculato. Guttæ juguli albæ paullum transversæ apparent. Ala 110 mm. (M. Berol.). — *Venezuela.*

206 *b.* *P. speciosus* Sclater, Malh. II, 181 (sub P. guttifero), tab. 87 f. 6; — Mus. Hein. l. c.; — simillimus P. punctigulæ; differt pectore purius flavo, punctis minoribus maculato. De cetero non descriptus. — Hab. in *Peru orientali* (circa flumen amazonum superius). Incertum videtur an a sp. præcedente (206) vere differat.

207. PICUS *guttifer* R:bach Handb. Sp. Orn. Picinæ, 420 (Chrysopt.); — Malh. II, 181 (absque icone); — similis præcedentibus, sed major; dorso nigromaculato (nec fasciato); fasciis alarum nigris angustis; uropygio pure flavo, punctis minoribus, rotundis, nigris ornato. Rectrices laterales flavæ, fasciis nigris ad scapum interruptis ibique angustatis. Maculæ gulæ albæ, angustiores, oblonga. Ala (4 p. 4 lin.) 114 mm. — *Mexico* (Reichenb. — Mihi ignotus).

*b)* Majores, maculis gastræi majoribus; gula albida, crebre nigrostriolata *).

208. PICUS *icteromelas* Vieill. N. Dict.; — Enc. 1313; — Wagl. Syst. Picus sp. 43; — Malh. II, 182, t. 88; — ceteris minor (ala circiter 125 mm), lætius puriusque coloratus. Dorsum flavido-virens late nigrofasciatum; uropygium paullo pallidius et, ut dorsum, nigrofasciatum. Gastræum pallide viridi-flavum, maculis nigris, cordatis, numerosis. Latera capitis purius alba (vel leviter flavolavata). Maculæ externæ remigum et rectricum lateralium fulvescentes; rectrices 6 mediæ nigræ, striolis marginalibus pallidis ornatæ scapoque basi flavescente. — Vitta malaris maris rubra; feminæ leviter albido-striolata. Habitat in *Brasilia.* (Malh. — mihi ignotus).

208 *b.* *P. flavilumbis* n. *Mas:* magnitudo præcedentis (ala 125 mm), color potius sequentis. A descriptionibus præcedentis differt: uropygio læte lateque flavo, immaculato; — sed tectrices caudæ fasciis maculisve latis, nigris pictæ. Dorsum flavo-virens fasciis latis nigris. Gastræum (præter guttur anticum, striolatum) flavidum, antice griseo-sordidum, maculis crebris, nigris, rotundis vel subcordatis, 3 mm latis; ad latera maculis minoribus, oblongis; ventre medio purius flavo, late immaculato; crisso flavoalbido, maculis nigris oblongis, vel cordatis. Latera capitis flavido-alba. Vitta malaris nigra, plumis apice obscurius rubris. Alæ præcedentis. Rectrices laterales, utrinque 2, totæ fasciatæ: fasciis fulvoalbidis paullulo angustioribus, quam fasciis nigris. Rectr. medii paris nigræ, margine interno magis quam externo maculatæ; *secunda,* basim

---

*) Picos hujus subdivisionis, inter se parum distinctos, in museis exteris atque ditioribus perquirere neglexi; ipse vero non satis eorum ad manum habeo ad species rite definiendas. Neque auxilium apud auctores invenio; descriptiones enim Malherbei omnia præter differentias specificas describunt; Museum Heineanum synonyma, fere nihil indicantia, affert, specimina vero non describit; auctores antiquiores nimia falsa habent. Incertus igitur procedo et species nominibus, fere tantum magnitudine definitis, affero.

versus, in altero specimine utrinque, in altero tantum intus, maculata. *Tertia* immaculata. Scapi remigum omninum et rectricum lateralium superne flavissimi, subtus minus læte flavi; rectricum reliquarum nigri, basi, tantum subtus, flavescentes. — *Femina* mihi ignota.

Specimina duo maris senioris in museo Stockh. adsunt; quorum alterum ex *Bahia*, a consule D. Lindgren, a:o 1843 missum; alterum ex Brasilia, loco incerto. — Hæc specimina, etsi a descriptionibus præcedentis magnopere differunt, forte mares sunt veteres P. icteromelani; interea nomen proponere fas visum est.

209. PICUS *chrysomelas* Malh. II, 189, t. 89: — præcedente paullo major: ala 135 mm (Malh.; 137 mm = 5 p. 3 l. Mus. Hein. 163); picturâ vero a nuper descripto (208 *b*) vix differre videtur. Gastræum lætius puriusque flavum, maculis rotundato-cordatis minoribus et paucioribus, quam in sp. affinibus, pictum, ventre medio immaculato. Dorsum flavo-virens, nigrofasciatum, uropygio maris veteris flavo immaculato; junioris et feminæ maculis nigris, rotundato-cordatis (sicuti gastræum) pictæ. Latera capitis albidoflava. Vitta malaris *maris* obscurius rubrovaria; *feminæ* nigra. Alæ et cauda ut in descr. præc:s; rectrices tamen 6 mediæ nigræ, scapis nigris; tantum 2 mediæ striolis marginalibus pallidis ornatæ (Malh.). — Ex *Brasilia*, (Mus. Hein.).

Obs. Specimina duo masculina ex Brasilia, verisimiliter hujus sp., et in Mus. Hein. l. c. sub P. chrysomelano citata, Berolini vidi, sed describere neglexi. Tantummodo notavi: "uropygium maris maculis multis, non parvis, cordato-rotundatis ornatum". Quæritur igitur an descriptio Malherbei maris veteris, "uropygio flavo, immaculato" confusione quadam cum sp. præcedente orta sit? vel etiam, an hic et præcedens vere distincti sint?

210. PICUS *melanochlorus* Gm. (ex Briss. et Pl. col. 719); — Malh. II, 187, t. 84 bis; — major: ala circa 145 mm. Latera capitis vix sordide flavidoalba, a rostro ad cervicem unicoloria. Dorsum flavoviride fasciis latis nigris. Uropygium paullo flavidius, fasciis nigris paullo angustioribus et in maculas interruptis. (In *mare:* maculis nigris triangularibus, Malh.). Tectrices caudæ eodem colore, viridiflavidæ, fasciis nigris integris, latis. Gastræum obscurius, sed purius flavum; totum crebre nigromaculatum: maculis rotundis, subcordatis, circa 3 mm latis; in ventre medio minoribus; in crisso latius cordatis. Rectrices ut in descr. generali; laterales, utrinque 2, purius nigræ, fasciis fulvoalbidis, definitis, angustis: scapum marginesque attingentibus, 3plo angustioribus quam interstitiis nigris. Penna 3:tia striolis utriusque marginis paucis, obsoletis; 4:ta immaculata; 5:ta s. media, margine interno, striolis tenuibus, definitis, fulvescentibus ornata. Pennæ laterales, utr. 2, subtus leviter flavomicantes. Alæ ut in omnibus pictæ. Vitta malaris nigra: *maris* rubrovaria; *feminæ* tota crebre griseo punctata. — Hab. in *Brasilia* (Mus. Stockh. ♀).

211. PICUS *chlorozostus* Wagl. Isis 1829, 513; — Malh. II, 184, t. 84 bis. — "*P. cristatus* Vieill." Mus. Hein. l. c. — Magnitudo præcedentis: ala 140—150 mm. Latera capitis sordide flavoalbida, pone oculos leviter infuscata, limbo superiore et inferiore pallidioribus. Dor-

sum sordidius flavoviride, fasciis latis nigris. Uropygium intensius flavum, crebre nigromaculatum: maculis cordatis, parum minoribus quam maculis gastræi; in tectricibus caudæ latius cordatis, transversis, vel arcuatis. Gastræum sordidius flavovirens, antice fulvescenti-inquinatum; crebre nigromaculatum: maculis majusculis, exacte ut in præcedenti formatis. Striolæ gulæ crebræ, latiores qv. præc:tis. Fasciæ rectricis extimæ fulvescentes, parum angustiores quam interjectæ fuscæ. Penna 2:da in juniore fasciis imperfectis picta: superne, fasciæ fulvæ abbreviatæ, maculares; pleræque pogonii interni, vel etiam externi, infuscatæ, obsoletæ (in penna dextra et sinistra dissimiles). Penna 3:tia et 4:ta basi obsoletius maculatæ; 5:ta (media) fasciis pog. interni abbreviatis, fulvis, in ♂ vet. angustis; fasciæ pog. externi obsoletiores. Rectrices omnes multo latiores quam sp. præcedentium. Extima subtus fortius flavo-micans; secunda, jun:s, circa scapum fasciatim flavomicans. Scapi laterales, senioris sola extima, junioris utrinque 2, supra subtusque flavi; reliqui nigri. Alæ ut in præcedentibus pictæ, sed fasciæ et maculæ externæ latiores et paullo obscurius fulvæ. Vitta malaris nigra: *maris* rubrovaria, *feminæ* creberrime griseostriolata. — *Brasilia* (Parà, ♂ vet. ♀ jun. Mus. Stockh.; Wagl.); *Montevideo* (M. Hein.).

Obs. Dubium est an hæc sp. sit *P. cristatus* Vieill. Enc. 1321, ex Azara n:o 252 ("maculis gastræi longitudinalibus"). Hoc præterea nomen ineptum est avi non cristatæ, præsertim inter Picos, quorum numerosi valde cristati.

*c*) Gula (seniorum) nigra, immaculata.

212. PICUS *melanolæmus* Malh. II, 185, t. 89; — gula tota nigra; uropygio ventreque flavis, nigroguttatis. — Præcedentibus major: ala 160 mm (Malh.). Pileus pure niger, postice brevius (quam in præcedentibus) ruber. Vitta malaris a nigredine gulæ non distincta et in *femina* concolor, nigra; in *mare* rubra. Latera capitis flava. Dorsum et alæ nigra, flavidofasciata; gastræi maculæ nigræ, rotundato-cordatæ, majusculæ (ut in sp. 2 præcedentibus), sed in medio ventre vix ullæ. Alæ ut præcedentium, sed fasciæ angustiores. Rectrices laterales fasciis (ut in P. melanochloro, n:o 210) angustis, fulvoalbidis: penna extima pogonio utroque, secunda tantum externo, picta; vel, in mare vetere, sola extima, tantum in pogonio externo, maculata. Pennæ mediæ et reliquæ, in juniore, margine interno, basim versus striolatæ. Scapi alarum utrinque flavæ; caudæ laterales subtus flavæ, superne flavido-fuscæ (Malh.). — *Bolivia, Chili* (Malh. — Præcedentibus maxime affinis).

Junior, gulà nigra, pallido striolata: pluma quavis pallida, linea media lata, nigra (Malh.).

213. PICUS *atricollis* Malh. Rev. Zool. 1850, 156; — Mon. Pic. II, 178, t. 88; — *Chr. peruvianus* R:bach, Handb. 419; — *Mas*, gula juguloque medio nigris; uropygio ventreque virenti-albidis, nigrofasciatis; pileo cinereo, plumis apice rubris, postice lineaque laterali, vittaque malari, rubris. — Minor: ala 123 mm. Pictura corporis alarumque præcedentium, sed maculæ ventris nigræ, transversæ, fascias angustiores, interruptas præbentes. Latera capitis flavoalbida. Rectrices laterales, (utrinque 2, R:bch) pallide fulvofasciatæ; reliquæ striolis marginalibus pallescentibus notatæ. Scapi remigum et rectricum omnium, supra sub-

tusque flavi. *Femina* ignota. — *Peru* (Malh.; R:bach. — Obs. Picturâ pilei ventrisque a præcedentibus differt, et sequentibus subsimilis videtur; sed minor).

---

## TRIBUS 26. *Pici campestres.*

Sp. majores, rostro majore, longitudine capiti subæquali, apice imperfecte vel non cuneato; dorso alisque nigrofuscis, crebre albidofasciatis, uropygio plerumque albo; gastræo albido, nigrofasciato. Scapi remigum semper, rectricum interdum, subtus, vel utrinque, flavi.

Latera capitis (ut præcedentium) albida vel flavida. Fasciæ corporis supra subtusque irregulares. Remiges ut in Tribu præcedenti maculatæ. Rectrices, ut in Ligonirostribus plerisque, longius acutæ; plerumque nigræ, mediæ et extimæ margine pallidimaculatæ, numero macularum, typice, adhuc majore quam præcedentium, sed omnes raro apparent. Differentia sexus e vitta malari, *maris* rubropunctata, *feminæ* colore rubro carente, apparet. Rostri culmen leviter arcuatum, altius carinatum. Carinæ nasales juxta culmen sitæ, sed obsoletæ. Furca menti longa. Digitus 4:tus tertio brevior. — Habitant in *America* meridionali, campestri; sed sp. ultima, sat aberrans, in insula Cuba. (Geopici pars Malh. Malherbipicus! Bonap. Melius Pediopipo dicendus: πεδίον, campus). Sicuti Pici aurati et aratores, campos apertos inhabitant, in terra ambulantes ibique victum quærentes; arbores vero etiam adscendunt.

214. PICUS *campestris* Vieill. Dict.; — Enc. 1322 (ex Az. 253); — Licht Verz. p. 10; — Malh. II, 251, t. 108; — pileo nigro; gula (cum regione malari) nigra, luteo-cincta. — Superne cum alis nigrofuscus, undatim, angustius albidofasciatus, uropygio albo, immaculato vel transversim fuscostriato. Subtus flavido-albus, anguste nigrofasciolatus, gutture infimo lateribusque colli capitisque, pone oculos, cum cervice, flavissimis, immaculatis. Remiges nigræ, flavoalbido maculatæ, scapis superne subtusque flavissimis (sed in juniore pallidioribus). Rectrices nigræ, extima extus, media intus vel utrinque albido maculata. *Mas* regione malari crebre rubro-, antice albido-varia; uropygio plus minusve fasciato; fasciis ventris latioribus, subrectis, vel in maculas cordatas, nigras interruptis. *Femina* regione malari non rubro-, sed antice albido-varia; uropygio immaculato, albo; fasciis ventralibus angustioribus, V-formibus. Ala 150—160 mm. Femina vix mare minor (Mus. Stockh.). — Habitat in *regione platensi* et in *Brasilia* (Bahia Licht. Pr. Max.).

215. PICUS *agricola* Malh. 1859, — et Mon. II, 254, t. 108; — *P. subcampestris* Reich.bch Handb. 419 c. figg. — Simillimus P. campestri; differt gula flavoalbida, immaculata; sed vitta malaris nigra, definita; in *mare* rubro-, in *femina* albo-varia. Capitis collique latera, cervix et guttur inferius, ut in præcedente, flavissima. Rectrices laterales, utrinque 2, et media, margine pallido maculatæ. Uropygium pure album. Ala 150—160 mm. — *Montevideo* Mus. Berol. *Brasilia* R:bch.; Malh. (Bolivia et Chili? Malh.).

216. PICUS *rupicola* Lafr. d'Orb. Voy. — Malh. II, 271, t. 113; — pileo vittaque malari nigrocinereis, in *mare* postice rubris, in *femina* unicoloribus. — Gastræum, cum gula lateribusque capitis, pallide, sordide flavidum, maculis gutturis inferioris crebris, lunatis, nigris. Superne cum alis nigrofuscus, angustius flavoalbido-fasciatus, uropygio flavoalbido. Tectrices caudæ longæ, albidæ, nigrofasciatæ. Rectrices nigræ, striolis transversis, angustis, flavidis ornatæ; (fere omnes hoc modo pictæ in ♂♀, Mus. Paris.; sed tantum extima in ♂ seniore, Mus. Berol.). A reliquis differt occipite maris rubro; a sequente, vitta malari definita, nigricante. Ala 160—170 mm. — *Peru; Bolivia* in campis alpinis.

217. PICUS *chilensis* Garnot, Coq. t. 32; — Lesson, Man. II, 113. — Malh. II, 269, t. 111; — *Col. pitius* (Mol.) R:bch, Handb. 414; — *Col. pitiguus* Gay, Chile, I, 373; — lateribus capitis gulaque sordide fulvoalbidis, vitta malari parum apparente: angusta, indefinita, sparsim fuscopunctata; *maris* præterea pallide rubido-punctata. — Pileus fuscocinereus. Corpus superne fuscum, albidofasciatum, uropygio albo. Gastræum, antice, a gula usque, lateribusque nigrofusco albidoque fasciatum, lateribus colli concoloribus; ventre medio albido, immaculato. Remiges albidomaculatæ, scapis, supra subtusque, pallide flavis. Rectrices purius nigræ; extima margine externo leviter albidopunctata summoque apice albido; media margine interno albido-striolata. Scapi omnes utrinque nigri. Rostrum apice obtusiusculum, fere ut rostrum P. aratoris. Cauda minime brevis, sed inter Picos insolite longa: æquat $\frac{4}{6}$ alæ. Iris flavovirens. Ala circa 160 mm. (M. Stockh.). — Juv. pileo albidovario, facie obscurius fulvescente, ventre medio quoque maculato. (Malh.). — Hab. in *Chili*, ubi silvas vel arboreta colit, in arboribus cavis nidificans, ova 3 alba pariens. Victum in terra fodiendo quærit (Gay; — Bridges, Z. Proc. 1843, 114).

Obs. *Picus pitius* Molina, Chili (ed. gallica 216 et 322); indeque Gm. et Lath. 26 (unice ex Mol.), evidenter confusus cum Alcedine torquata, subsimili et in Chili frequenti: "cauda brevi", et "in ripis præruptis, fodiendo nidificans". Nomen igitur rejiciendum.

218. PICUS *fernandi*. "*Colaptes fernandinæ*" Vig. Z. Journ. 1827; — Wagl, Isis 1829, 517; — Malh. II, 273, t. 113; — supra subtusque crebre flavescenti nigroque fasciatus, capite sordide flavido, superne tenue nigrostriolato; gula nigra, plumis tenue albomarginatis. — Vitta malaris cum nigredine gulæ continua et in *femina* colore vix diversa; in *mare* postice leviter rubropunctata. Fasciæ ventris flavidæ nigris latiores. Rectrices omnes subtus flavonitentes, superne crebre nigro flavidoque fasciatæ. Scapi remigum et rectricum subtus flavi, superne obscuri. Ala 150 mm. — *Cuba* (Mus. Berol.). Iris fusca (Malh.).

Obs. Nescio qua lege formatum sit nomen vigorsianum "*fernandinæ*", in memoriam patricii hispanici, cui nomen *Fernando* erat, datum. Hoc vero nomen latine Fernandus dicendum, et nomen avis, inde derivatum, Picus fernandi sit, nobis videtur.

## *Series 4.* Pici Nudinares

naribus apertis, setis non tectis. — Membrana narium postica plumulis brevibus, rotundatis, erectis et recurvis, non setaceis, tecta. Furca menti semper excedit medium rostrum.

Obs. In Picis plagæ tropicæ, supra descriptis, plumæ narium setosæ paucæ brevesque plerumque sunt et, in avi occisa, putredine, ibi cito incipiente, sæpe decidunt, qua re nares nudæ apparent. Aves tamen, hoc modo mutilatæ, plerumque a Picis hujus seriei dignoscuntur: plumulis quibusdam, in basi rostri relictis, setigeris, rectis, antrosum directis, neque ut nuper descriptis formatis.

### TRIBUS 27. *Pici sultanei.*

Rostrum validum, capite paullo longius, culmine recto, apice valde cuneato, carinis nasalibus fortibus, a culmine laté distantibus. Digitus 4:tus tertio longior. — Dig. 1 (hallux), magnitudine, inter Picos ordinarius (i. e. articulo 1m:o digiti proximi paullo longior). Corpus superne flavo-aureo micans vel rubrum; subtus albo nigroque varium. Species majores, cristatæ, pleræque picturâ et differentiâ sexus inter se simillimæ, de qua re videas descr. sp. primæ. Sola sp. ultima a reliquis magis differt. Omnibus vero peculiaris est pictura gulæ genarumque. Hæ enim partes albæ sunt, lineâ gulæ media nigra et vitta malari magna, alba, linea tenui, nigra, undique cincta, striatæ. Lineæ igitur 5 subparallelæ, subæque distantes, nigræ, ibi numerantur. Remiges nigræ, maculis paucis, albis, intus rotundatis, a margine remotis; (extus plerumque nullis). Rectrices elongatæ, totæ nigræ. Sp. omnes *indicæ.* — Gen. Chrysocolaptes Blyth 1843; Mus. Hein. 166; — Indopicus Malh.

219. PICUS *sultaneus* Hodgs. Journ. As. Soc. 1837; — Malh. II, 77, t. 64; — Jerdon Ind. I, 281; — Mus. Hein. l. c.; — dorso alisque luteis (hic illic rubrolavatis), tergo rubro. Pileus cum crista, *maris* ruber, *feminæ* niger, alboguttatus. Capitis et colli latera cum cervice alba, vitta pone oculos lata, nigra, ad dorsum ducta. Lineæ genarum gulæque 5 nigræ. Gastræum, anterius, cum jugulo, plumis albis, undique nigromarginatis; posterius album, transversim nigrostriolatum. Cauda tota et remiges primariæ extus nigræ, immaculatæ. Rostrum fuscum. Iris flava Jerd. (rubra Hodgs). Ala circiter 170 mm. — *India.*

*a*) Forma major, septemtrionalis: *P. sultaneus* propr. (synonymia supra data); ex *Nepal, Assam*; — Maximus; Ala, ♂ 177, 175 mm; ♀ 172 mm. Mus. Berol.; 175, Mus. Hein. l. c. (185, Malh. forte lapsu?); cauda fere 120.

Obs. Forma indica: *Picus delesserti* Malh. 1848; — et Monogr. II, 79, t. 64; — ex India propria: septemtrionali — meridionali (Jerd. Ind. I, 281); plerumque paullo minor: ala 165 mm. Mus. Hein. l. c.; (170—180 mm. Malh.); ceterum nulla re a præcedente differt, nec distinctus habendus.

*b*) Forma minor: *Picus strictus* Horsf. L. Tr. XIII, 176; — Malh. p. 80, t. 65; — ex *Java*, iterum paullo minor, nec alia re distinctus: ala 145 mm. (Mus. Hein. Dimensio hujus a Malh. data, ut præcedentium, major: 160 mm). — Sed observandum est specimen (prioris?) ex Cochin Indiæ meridionalis, in Museo Berolinensi, non majus: ala 145 mm. Hinc credi licet, specimina hujus, ut avium multarum aliarum, meridiam versus, sensim minora gigni.

Mas hornotinus hujus? Malh. sub P. stricto l. c.; — P. strictus ♀ Horsf. — Adhuc paullo minor, pileo (cum crista brevi) flavo; tergo et uropygio fuscoviridibus, rubrovariis. Omnis color corporis sordidior.

220. PICUS *philippinarum* Lath. sp. 30 (Sonnerat; Pl. Enl. 691); — Malh. II, 85, t. 66; — *P. aurantius* Bodd. (nec Linn. qui = P. bengalensis, infra n:o 224); — Mus. Hein. 168; — lateribus capitis albis, vitta pone oculos nulla nigra. Superne luteus plumis margine late rubrotinctis; tergo rubro. Rectrices nigrofuscæ, basi, utrinque, macula albida, majore, pictæ. Subtus, cum jugulo et regione gulari, ut in præcedente. Ala circa 140 mm (140—148 Malh.). — In *insulis Philippinis* (Malh.).

221. PICUS *hæmatribon* Wagl. Syst. sp. 95; — Malh. II, 84, t. 68; — Mus. Hein. — dorso, alis extus tergoque rubris; jugulo toto fusco, maculis rotundis, crebris albis; ventre fulvo, striis transversis fuscis. — Latera capitis et gula fulvescentia, striis 5 ordinariis, nigris. Vitta pone oculos lata, fusca, ad dorsum ducta, sed antice albidovaria, vel pallida, fuscomaculata. Rostrum fuscum. Diff. *sexus* ut præcedentium. Ala 135, 130 mm. Mus, Berol.; 143 Malh., Mus. Hein. — Habitat in insula *Luzon*.

222. PICUS *carlotta* Malh. Rev. Zool. 1854; — et Monogr. II, 87. t. 67; — *Brachypt. stricklandi* Layard 1854 (sed non P. strickl. Malh., supra, sp, 48); — Mus. Hein. 169; — rostro majore, flavopallido; dorso, alis extus tergoque rubris. Vitta per oculos nigra, latissima, latera capitis superiora implens. Genæ gulaque albæ, lineis 5 ordinariis pictæ. Gastræum reliquum, ut in sp. prima, antice nigrum maculis magnis, rotundatis, albis; postice, maculis sensim majoribus, relictis tantum lineolis nigris. Ala 152 mm. — *Ceylon* (Malherbe).

223. PICUS *festivus* Bodd. (Pl. Enl. 696); — Gray. Gen. (Chrysocol.); — Mus. Hein. 168; — *P. goensis* Gm.; — Lath. 27 (Buff.); — Malh. II, 82, t. 66; — dorso antico, lato, cerviceque albis. Vitta pone oculos lata, cum scapulis nigris conjuncta, tergum et uropygium nigra, plagam dorsalem, albam cingentia. Alarum tectrices luteæ; remiges cubitales fuscovirentes; primariæ nigræ, extus fasciis paucis, latis, pallidis. Pileus *maris* ruber, *feminæ* (?) flavus; fronte antica utriusque alba. Gula alba striis 5 ordinariis picta. Gastræum albidum, marginibus plumarum angustius nigris. Ala fere 150 mm. (Malh.); Feminæ 144, (Mus. Hein.). — Hab. in *India media et meridionali*, (Jerdon, p. 282; Cochin, Mus. Berol). — Senior, plumis nigris et flavis apice rubrolavatis (Malh.).

## TRIBUS 28. *Pici auropalliati.*

Corpus, ut præcedentium, superne flavidum, aureo micans, vel rubrum; subtus albo nigroque varium (plumis albidis, margine laterali, vel toto, nigro). Rostrum capite vix longius, culmine leviter curvato, carinis nasalibus obsoletis, juxta culmen sitis; apice parum cuneatum, vel subacutum. Digitus 4:tus tertio brevior; *primus minimus vel nullus.* — Picturâ et habitu similes præcedentibus. sed paullo minores: magnitudine mediæ. Ut in illis: crista occipitalis, mollis, sericea. Plumæ colli breviusculæ, fere ut in serie Picorum prima. Rectrices longius acutæ, totæ nigræ. Maculæ remigum internæ albæ, paucæ, rotundatæ, marginem pogonii non vel vix attingentes. Vitta postocularis nigra, lata, elongata, inter 2 albas sita, sed cervix nigra. Habitant cum præcedentibus, in *Asia meridionali.*

*a) Hallux minimus.* (Articulo 1:mo digiti proximi brevior).

A sequentibus differunt uropygio tergoque nigris; gula cum regione malari totis nigris, albovariis; remigibus primariis margine externo albomaculatis. — Pileus *maris* totus, cum crista, ruber; *feminæ* niger albopunctatus, crista sola rubra. — Gen. Brachypternus Strickl.; Mus. Hein. 169; — Brahmapicus. Malh.

224. PICUS *bengalensis* L. X, 113 (Alb. & Edw. 182) ♀; — et XII, 175 (Briss. sp. 2); — Lth. 29. — Malh. II, 93, t. 69; — *P. aurantius* L. XII, 174 (Briss. sp. 30) ♂; — Lath. 35; — Mus. Hein. 169; — *P. nuchalis* Wagl. Syst. 94; — dorso splendide luteo, (non rubromaculato). Alæ sordidius fusco-lutescentes, tectricibus minoribus albido-maculatis, minimis nigricantibus. Vitta postocularis albo-striata. Gula albostriolata: vitta plumarum longitudinali alba, inter maculas 2 laterales magnas, rotundatas, nigras. Nigredine vero aucta, in senioribus et præsertim in meridionalibus, vitta alba minuitur, vel evanescit, relictis tantum puncto apicis, maculaque transversa media albis. Plumæ quoque ventrales tantum lateribus, non apice, nigromarginatæ. Reliqua descr. v. supra. In senioribus, mare feminaque, plumæ dorsi interdum apice rubrotinctæ. Ala 144—140 mm. — In *Bengalia* et majore Indiæ parte.

Obs. *Brachypt. dilutus* Blyth; — Jerd. Ind. 297; — Var. præc:s, Malh. l. c. 96; — paullo minor: ala (5½ p. angl. =) 140 mm; maculis striolisque albis ubique latioribus (in vitta postoculari, in gastræo toto, in remigibus et tectricibus); præterea pennæ cubiti ultimæ ("tertiaries") albomaculatæ et dorsum minus luteo-pictum, (Jerdon, l. c.). — Sp. dubia; an junior præcedentis? cui notæ albæ secundum ætatem, vel fortuito, paullum variabiles. Unicum specimen, ex *Sindh*, descriptum dicitur.

*P. thibetanus* Natt.; Var. P. bengalensis, Malh. l. c.; — ex *Thibet:* "capite [an feminæ?] gulaque nigrioribus, striolis, nec punctis, albidis variis. Ala antice latius nigricans maculis tectricum albidis majoribus, cordatis" (Malh.). — Sp. non minus dubia.

225. PICUS *chrysonotus* Lesson Traité 220 (descr. manca); — Jerdon Ind. I, 296; — *Br. micropus* Blyth, 1845 (nomen ineptum, ob

pedes non parvos); — sub P. bengalensi, Malh. l. c.; — dorso luteo, plumis non rubrolimbatis; tectricibus alarum parvis non albomaculatis. — Similis P. bengalensi. Pileus *maris* ruber, antice plumis basi longius nigris; *feminæ* niger punctis rotundatis, subtransversis, albis, postice c. crista ruber. — Vitta postocularis definita, nigra, parum vel vix albo striolata. Gula nigra, punctis crebris, albis, rotundis varia. Guttur reliquum nigrum, macula plumarum apicis majore, transversa, albida, aliaque media, longitudinali. In pectore antico plumæ partim nigræ maculis 2 magnis, albidis: apicali rotundata, media cordata, interjecta fascia nigra, angulata; — partim vero hæc fascia interrupta, vel in maculam nigram conversa. Plumæ ventris reliqui lateribus late nigromarginatæ. Cervix cum antica dorsi parte nigra. Dorsum c. regione scapulari splendide aureum. Tergum et uropygium nigra, antice virentimixta. Alæ extus fuscolutescentes, tectricibus parvis obscurius fuscis, nigricanti-marginatis, maculis albis nullis. Remigum maculæ albæ paullo minores quam præcedentis. Cauda nigra. Rostrum nigrum, apice acutius, vix cuneatum. Ala 137 mm. ♀ M. Sthm; 133, Jerd. ($5\frac{1}{4}$ p. angl.). — *India meridionalis:* Madras, M. Sthm.; Malabar, Carnatic, Jerd.

226. PICUS *puncticollis* Malh. II, 92, t. 70; — *P. chrysonotus* Less., Malh. Rev. Zool. 1845, 404; — Monogr. II, 92, t. 70; — dorso alisque extus luteis, plumis latius rubrolimbatis; tectricibus alarum parvis albomaculatis. — Ceterum præcedenti similis videtur et, nisi tectrices alarum minores maculatæ describerentur, eundem, sed seniorem, crederem. Plumæ tamen pectoris, secundum descriptiones, simplicius pictæ apparent. Pileus *maris* et *feminæ*, gulaque ut illius. Jugulum quoque nigrum punctis albis varium. Vitta postocularis nigra, leviter albostriolata. Dorsum et tectrices alarum majores lutea, plumis margine late rubrotinctis. Tectrices minores fuscæ maculis parvis, albis, triangularibus vel cordatis. Ala 145 mm. (Malh. — Mihi ignotus). — Habitat in montibus *Nilgherris* Indiæ meridionalis (Malh.).

Junior, Plumis dorsi alarumque levius vel vix rubrotinctis; gula crebre, transversim albostriolata (Malh.).

227. PICUS *erythronotus* Vieill. N. Dict.; — Enc. 1307; — *P. bengalensis* Var., Gm.; Lath. (ex Forst. Naturf. 13, p. 14, t. 4; Specht v. Zeylon, Kerella); — id. Vieill. sub P. beng. sp. 68; — *P. ceylonus* Cuv. 1829; — *Br. ceyl.* Blyth; — Mus. Hein. 171; dorso alisque superne rubris. — Tectrices alarum sordidius rubræ; minores albidomaculatæ. Vitta postocularis albidovaria. Gula nigra punctis crebris albis; plumæ ventris margine toto nigro. Tergum nigrum, leviter rubrovarium. Reliqua descr. v. supra. Ala, ♂ 137, ♀ 132 (Mus. Berol. — 143 Malh.). — *Ceylon.*

*b) Halluce nullo.*

Magnitudine omnique forma, præter dig. primum, similes præcedentibus; picturâ vero propiores P. sultaneo; tergo rubro; remigibus extus immaculatis; gula alba, fere ut in illo picta. Pilei quoque pictura ut in illo, pro sexu, differt. Gen. Tiga (!) Kaup; — Chrysonotus Swains.; Mus. Hein. p. 172; — Chloropicoïdes (!) Malh.

228. PICUS *javanensis* Ljungh Act. Stockh. 1797, 134; — Mus. Hein. 172; — *P. tiga* Horsf. L. Trans. XIII, 177; — Malh. II, 97, t. 71; — magnitudine medius: ala circa 133 mm (130—140 Malh.); dorso splendide luteo-aureo, tergo uropygioque rubris. Linea gulæ media nigromaculata, sublinearis, in plerisque antice, in mare vetere tota, evanescens. — Pileus, cum crista: *maris* ruber; *feminæ* niger, albo striolatus, striolis 3—5 mm longis. Vitta ocularis nigra, lata, pone oculum vix albovaria; inter vittas 2 albas sita, quarum inferior ad alas ducta. Vitta malaris antice fulvescens, superne nigromarginata (qs. subbifida), dein latior, juxta lineam colli albam sita, infra alas ducta. Cervix cum parte brevi antica dorsi, ut in prioribus, nigra. Dorsum medium tantum in senioribus leviter rubrolavatum. Plumæ gastræi albæ (plerumque a cortice vel resina arborum inqvinatæ), margine laterali latius, apicali tenuius, nigris; pictura vero sat varia; pars enim, ventrales et laterales, fascia media V formi, plerumque interrupta, ornatæ. Alæ extus luteo micantes, tectricibus præsertim lutescenti marginatis; ipsa vero flexura alæ fusca. Remiges primariæ extus nigræ, longiores, apice fuscescentes. Maculæ parvæ albæ marginis externi, sæpius in feminis, rarius in maribus, observantur: una ad apicem; una alterave, adhuc minore, in margine reliquo. Tectrices caudæ superiores nigræ. Rectrices nigræ, interdum, in mare vel femina, maculis 1 vel 2 parvis, albis, in pogonio interno pennarum; in lateralibus utrinque 1 vel 2; quas vero in latero dextro et sinistro dissimiles vidimus. Rostrum nigrum. Iris rubra. Habitat in *Java* et *Sumatra* (M. Sthm).

*b*) Varietas major: *Tiga intermedia* Blyth; — Malh. II, 99, absque icone; — paullo major: ala 140 mm (5½ p. angl. Jerd. Ind. 299). Ceterum nulla re ab avi javana differre videtur, et a cl. Malherbe eadem habetur. Habitat in locis editis, montanis totius *Indiæ* propriæ et *peninsulæ Indiæ orientalis;* sed in regionibus non montanis Indiæ specimina non majora quam javana dicuntur (Malh.).

*c*) Var. minor? *Chr. erythropygus* Mus. Hein. 173; — *Chl. rubropygialis* Malh. II, 100, t. 70 (nomen hybridum); — Jerd. Ind. I, 299; — Ala 127 mm, Malh.; — 124, Jerd.; — Color ubique minus lætus quam P. javanensis: superne olivaceus, in dorso luteo-rubido-lavatus; stria malaris antice nigricans (?): maculæ remigum primar. externæ albæ; striolæ pilei feminæ latiores quam præcedentis (Jerd.; sed tenues, sec. Malh. R. Zool. 1845, 400). Ex *Bengalia* Malh.; *Malabaria* merid. Jerd. Pauca specimina cognita, quæ juniora dicuntur. An igitur juv. nuper e nido evolans præcedentis?

229. PICUS *shorei* Vig. Z. Proc. 1831, 175; — Malh. II, 101, t. 71; — similis P. javanensi sed multo major: ala 264 mm; dorso medio, saltem in mare, ut tergum, rubro; alarum tectrices in senioribus margine rubrolavatæ. Gula lineis 2 angustis, nigromaculatis, in mento contiguis, retrorsum divergentibus, aream subtriangularem, fulvescentem complectentibus. Striolæ albæ pilei longiores. Reliqua ut in sp. cit. (Malh.; mihi ignotus). — Habitat in montosis *Indiæ* septemtr. (Himalaya) et meridionalis (Malabar). Jerdon, Ind. I, 298.

## TRIBUS 29. *Pici fulvicristati.*

Pileus flavus, fulvus aut rufus, plumis elongatis, firmioribus (distinctis), cristatus. Vitta malaris *maris* latior, rubra; *feminæ* nulla vel tantum fuscostriolata. — Color corporis flavo vel rufo nigroque varius. Digitus 4:tus tertio brevior; hallux adest, ordinarius. Cauda, ut præcedentium, longior ($\frac{2}{3}$ alæ), acutius gradata. Rostri culmen altius, acutius carinatum. Furca menti longior quam $\frac{1}{2}$ suturæ; ceterum forma rostri sat varia. Sp. magnitudine mediæ; omnes *americanæ*, tropicæ. — Gen. Celeus Boie; Celeopicus! Malh.

*Div. 1* rostro fortiore, culmine fere recto.

Rostrum longitudini capitis fere æquale, apice fortius cuneatum, carinis nasalibus validis, prominulis, sed prope culmen sitis. Remiges et rectrices fasciatæ, apice late nigræ. Caput cum gula fulvum, gutture inferiore nigro. Crista longa.

230. PICUS *tinnunculus* Wagl. Isis 1829, 516; — Malh. II, 36, t. 52; — rufus dorso alisque latius nigrofasciatis; gastræo, cum jugulo, nigro, in ventre albido-fasciato. Caput, cum gula, fulvum. Remiges et rectrices nigræ fasciis rufis, angustioribus. Ala 155 mm. — *Brasilia* (Mh.; Mus. Berol.).

231. PICUS *multicolor* Gm. — Lath. 46 (Buff. et Pl. Enl. 863); — Malh. II, 34, t. 32; — superne rufus, parum vel vix nigromaculatus; ventre pallidiore, immaculato. Caput, cum gula, fulvum; gutture reliquo, cum lateribus colli cerviceque infimo, nigris. Remiges et rectrices rufæ, fasciis angustis nigris, in senioribus interruptis. Ala 160 mm. — *Brasilia* (Mh.; Mus. Berol.); *Guyana* (Malh.).

*Div. 2* rostro debiliore, culmine fortius arcuato,

plerisque breviore; apice parum vel vix cuneato; carinis nasi vix eminentibus, antice oblitteratis.

*a) Rectricibus totis nigris, remigibus fasciatis.*

Obscurius colorati, tergo flavescente. Crista plerumque ampla, flavescens.

232. PICUS *flavescens* Gm.; Lath. 42 (Brown Ill. 12); — Malh. II, 21, t. 53; — niger, subtus unicolor, superne flavofasciatus; capite, cum crista prolixa, cervice gulaque, tergo tibaliisque flavescentibus. Ala 145—150 mm (M. Sthm.; 160—165 Malh.), — Tectrices caudæ nigræ, maculis paucis vel margine solo flavidis. Fasciæ remigum flavæ. Regio malaris, in femina et juniore, plerumque fusco-striolata; in *mare*, vitta malaris, ut in omnibus hujus generis, magna, rubra. — Hab. in *Brasilia.*

Colore variat: Mas vetus, capite tergoque fulvescentibus, plumis cristæ rubropictis. — Alii, utriusque sexus, capite reliquisque partibus pallidis. albidis.

233? PICUS *lugubris* Natt. Malh. II, 19, t. 54; — similis præcedenti, sed fuscus pro colore nigro præc:s, tectricibus caudæ remigibusque crebrius rufofasciatis. Color flavescens variabilis, sæpe rufescens. Ala 150—157 mm. — *Brasilia, Paraguay,* (Malh.; mihi ign.).

234. PICUS *ochraceus* Spix Bras. I, 59; — Malh. II, 23, t. 54; — superne flavidus nigromaculatus, subtus nigrofuscus, lateribus flavidis. Caput totum, cum collo, et tergum flavida. — Similis P. flavescenti; præsertim differt lateribus corporis flavidis, maculis nigris variis. Plumæ ventris angustius rufomarg.natæ. Remigum fasciæ paucæ, maculares, rufæ; sed, in cubitalibus, extus flavidæ. ♂♀ Mus. Berol. ala 150, 145 mm. (142, Mh.). — *Brasilia.*

235. PICUS *cinnamomeus* Gm.; Lath. 45 (Lath. Syn.; Pl. Enl. 524); — Malh. II, 32, t. 56; — supra subtusque saturate rufus, pileo (cum crista) tergoque (c. uropygio) flavescentibus. — Alarum tectrices et scapulares maculâ vel striolâ mediâ, parva, pallida, sæpe obtectâ, ornatæ. Ala, ceterum, extus immaculata; sed remiges intus nigrofasciatæ. Gastræum totum, cum gula, et latera capitis colore dorso similia, non fasciata; hypochondria vero pallida. Rostrum flavescens. Ala: 160—170 mm (Mus. Stockh., Berol.; — 150—163, Malh.). — Mares et feminæ promiscue majores. — Habitat in *Guyana* (et ins. Trinidad, Taylor, Ibis 1864). — Junior (Mas, M. Sthm) tectricibus alarum, majoribus et minoribus, fascia media obtecta et margine apicis albidis. Remiges intus latius fasciatæ.

Obs. Specimina quædam, utriusque sexus, differre videntur pileo c. crista colore corporis, rufis. In his hypochondria quoque, vel etiam tergum, sæpe eodem colore tincta. Quod inquinatione resinæ cujusdam arborum oritur; plumæ igitur, in parte obtecta, vel saltem ima basi, flavæ. In aliis tergum viridi-inquinatum.

236. PICUS *reichenbachii* Malh. II, 28, t. 56; — obscurius fusco rufus, ventre medio alisque extus fuscofasciatis; pileo, tergo crissoque flavescentibus. Maculæ pallidæ scapulæ tectricumque ut in præcedente, a quo præcipue differt plumis nigricantibus, apice latius rufis. Alæ extus rufæ, plus minusve fusco fasciatæ. Paullo major dicitur: ala 170—180 mm. — *Columbia*; *Brasilia* (Malh.; mihi ignotus).

237. PICUS *jumana* Spix Bras. I, t. 47; — Malh. II, 27, t. 55; — superne subtusque rufus, pileo concolore, tergo flavescente. — Color paullo obscurior quam P. cinnamomei; alæ extus immaculatæ. Remiges, ut in præcedentibus, intus flavidofasciatæ. Ala 160 mm. (M. Berol.; Mh.). — Hab. in *Brasilia* (etiam in Columbia et Peru Malh.). — Obs. Pileus et crista non a sorde vegetabili colorati; plumæ enim basi concolores vel obscuriores.

*b) Rectrices totæ nigræ; remiges intus pallidæ, non maculatæ.*

238. PICUS *exalbidus* Gm. (Lath. Syn., ex Briss. sp, 31); — Malh. II, 30, t. 55; — P. flavicans Lath. sp. 44 (nomine Gmeliniano mutato; — *P. semicinnamomeus* R:bch, Handb. 407 (mas senior?); Malh. p. 26; — pallide fulvo-flavidus, alis fuscis vel rufis; rostro brevi,

flavo, basi fuscescente; cauda tota nigra. Ala circiter 140 mm. Magnitudinem in speciminibus numerosis perparum variabilem inveni; sed pictura secundum ætatem differt.

Junior flavo albidus, tectricibus alarum fuscis, late albidomarginatis; dorso antico guttureque, vel aliis partibus gastræi, fuscomaculatis; remigibus fuscis, tenue rufescenti marginatis.

Senior non maculatus. Tectrices alarum fuscæ; majores plerumque striola scapi rufescente. Remiges fuscæ, secundum scapum plus minusve rufæ; vel latius rufæ, fuscomarginatæ; intus late, pallide rufæ.

Mas vetus fulvoflavidus, vitta malari magna, rubra; tectricibus alarum minoribus nigrofuscis, plerisque ad apicem late flavidolimbatis; tectr. majoribus rufis, apice nigromarginatis. Remiges cubiti rufæ: intus paullo pallidiores, summo apice macula parva nigra. Primariæ nigræ: duæ primæ extus immaculatæ; reliquæ extus intusque, gradatim longius latiusque rufæ, relicta, in ultimis, tantum vitta apicis nigra, parva, basim pennæ versus angusta, ad scapum decurrente. Cauda tota nigra. Ala 140 mm. *Guyana* (M. Sthm).

c) *Rectrices nigræ, basi late rufæ, non fasciatæ;* remiges intus late pallidæ, non fasciatæ, extus rufæ. (Color corporis rufus, nigrovarius; rostrum, præc:s, brevius, flavidum).

239. PICUS *castaneus* Licht. Wagl. Isis 1829, 515; — Malh. II, 25, t. 50; — superne subtusque rufus, fasciis dorsi totiusque gastræi abbreviatis, curvatis, nigris, non crebris; alis (maris) immaculatis, vel (feminæ) tectricibus, ut dorsum, maculatis. Caput, cum crista et gula, sordide fulvoflavidum, immaculatum. Tergi plumæ basi flavescentes, apice rufæ (color tamen sorde externo non ortus videtur); non maculatæ. Rectrices basi rufæ, apice longo nigro. Remiges rufæ, absque fasciis, intus vix flavescentes; primariæ apice fuscæ. Vitta malaris *maris* latissima, rubra; *feminæ* nulla. Ala 127—128 mm (Mus. Berol.). — Habitat in *Guyana* (Surinamo M. Berol. — Mexico, Peru, Malh. An rite?).

240. PICUS *verreauxi* Malh. R. Z. 1858; — Mon. Pic. II, 14, t. 51; — rufus, gutture tectricibusque alarum minoribus nigromaculatis: maculis transversis, arcuatis. Caput, cum crista, saturatius rufum, macula plumarum media, longitudinali, nigra. Reliquæ partes immaculatæ. Plumæ dorsi tergique dilutius rufæ, basi flavidæ. Ala 133 mm. — *Ecuador* (Malh.; non vidi).

241. PICUS *grammicus* Natt. Malh. Mem. de Liege 1845; — Mon. II, 18, t. 51; — rufus, dorso alisque, collo undique, cum jugulo pectoreque, nigrofasciatis, plumis basi flavidis. Tergum et hypchondria flavida immaculata. Caput cum crista gulaque rufum, immaculatum. Remiges cubiti extus angustius nigrofasciatæ. Ala 120 mm. — *Brasilia* (Malh.; mihi ign.).

d) *Rectrices et remiges rufo nigroque fasciatæ* (vel maculatæ). Corpus rufum, transversim nigrovarium, crista concolore. Rostrum brevius. Sat similes sp. Tribus sequentis; differunt vero

digito 4:to breviore, rostro apice paullum cuneato; crista dilutiore, plerumque majore: usque a vertice medio incipiente.

242. PICUS *rufus* Gm.; Lath. 48 (Pl. Enl. 694, 1); — Malh. II, 13, t. 50; — rufus, supra subtusque crebre nigrofasciatus, gutture inferiore nigrofusco, plumis tenuius rufomarginatis striolaque scapi pallida (plerumque obtecta). Caput cum gula flavescens, nigropunctatum. Remiges primariæ intus non fasciatæ. Ala 118 mm (♀ Mus. Sthm; 120, Malh.; 112, ♂ M. Berol. vitta malari larga, rubra). — *Guyana.*

Obs. *Picus flavicollis* Vieill. N. Dict. et Enc. p. 1305, ut sp. ignota a Malherbio, II, 24, enumeratur: sed nobis videtur idem ac *P. rufus*, male descriptus voce "*longitudinaliter*", in descriptione striarum corporis, lapsu calami, pro *transversaliter*, adhibito. Idem vitium, aliis, quoque locis, in eodem opere invenitur (e. gr. in descr. gallica P. brachyuri, Enc. 1324).

243. PICUS *undatus* L. XII (Edw. 322); — Lath. sp. 47; — *P. multifasciatus* Malh. Mem. de Liege 1845; — Mon. II, 16, t. 50; — supra subtusque rufus, crebre nigrofasciatus, pectore concolore. Caput et tergum flavido-rufa, nigropunctata et striolata. Remiges omnes extus intusque nigrofasciatæ. Ala 112 mm (♂ Mus. Sthm; 113 Mh.); — *Guyana, Brasilia.*

244. PICUS *loricatus* R:bach Handb. p. 405; (Vollst. Naturg. t. 681, fig. 4495—6, Meiglyptes lor.); — *C. multifasciatus* Var. minor Malh. Mon. de Liège 1845 p. 18; — *C. fraseri* Malh. II, 16, t. 43 bis; — rufus, superne alisque angustius nigrofasciatus. Caput c. gula concolor, immaculatum, præter pileum antice nigropunctatum. Gastræum pallidius fulvescens, fasciolis submarginalibus, arcuatis, nigris, squamoso-maculatum. Cauda superne nigra, maculis marginalibus albidis. Ala 118 mm; Long. tot. 204 (s. fere 8 poll.) Malh. — Ex *Babahojo* ("Amer. Centr." Malh.; veris. lapsu, pro *Ecuador*). — Cauda nigra, basim versus fulvofasciata (R:bch; sed, in icone, cauda subtus tota fasciata); — *Peru,* R:bch.

Obs. Longitudo totalis, in opere R:bachii. "6 poll. 10 lin." (i. e. 179 mm, s. fere 7 poll) dicitur; qua re sp. ab eo descripta non agnoscitur et a cl. Malherbe pro var. *minore* P. undati habita est. Icon vero citata rem illustrat; ostendit enim cutem hujus avis male præparatam esse, caudâ ita retracta, ut apices alarum non attingat. Cauda igitur in situ naturali restituta. avis pollicem fere longior fit, s. fere 8-pollicaris, sicuti P fraseri Malh. — Præterea digiti et ungues et cet. a cl. R. dimensi sunt; sola vera mensura non fallax, longitudo alæ, omittitur. Tantum femina descripta videtur. (Mihi ignotus).

245. PICUS *pholidotus* N. — *Celeus mentalis* Cassin Philad. Proc. 1860, 13; — et Philad. Trans. 1863, t. 52 (nec P. mentalis Temm., supra sp. 167); — *C. squamatus* Lawr. Ibis 1863, 184 (nec P. sqvamatus Vig., supra sp. 173); — superne læte rufus, dorso anteriore, tectricibusque alarum paullo obscurioribus, tergo paullo pallidiore; maculis paucis frontis fasciisque angustis, nigris, dorsi, tergi et tectricum alarum. Subtus totus pallide rufus, striolis submarginalibus nigris, curvatis, squa-

moso-pictus. Cauda nigra fasciis rufis integris (s. "rufa, apice fasciisque nigris"). Remiges extus intusque læte rufis, utrinque maculis paucis nigris pictæ. Regio malaris et gula *feminæ* diluta rufæ, *maris* totæ rubræ (angulo tamen menti rufo). Mas, ala 120 mm, (4¾ p. Cassin; cauda lapsu, "1¾ p."); femina, ala 122 mm (4⅞ p.; c. 3⅛ p. = 78 mm; Lawr.). Habitat prope *Panama*. — Affinis C. fraseri Malh. (= sp. præcedenti) sed vere distinctus (Sclater, Ibis l. cit. in nota. Mihi ignotus).

---

## TRIBUS 30. *Pici acutirostres.*

*Rostrum* brevius, crassius, convexum, apice acutum (non cuneatum); culmine fortius, sutura quoque leviter, arcuatæ; carinis omnino obsoletis: culminis humili, parum acuta. Furca menti excedit suturam mediam.

Sp. mediæ vel minoris magnitudinis, rufæ vel fuscæ, fasciis maculisque transversis, fuscis pictæ, capite fere concolori. *Crista* posterior: occipitis, vel fere cervicis; dependens, plumis planatis, apice rotundatis composita. *Ala* brevis, pennis primariis cubitales parum excedentibus. *Cauda* brevius gradata; brevis, sed alâ dimidiâ semper longior. *Digitus 4:us* tertio subæqualis vel longior, — Sp. omnes ex *India* et *insulis indicis*.

Gen. Meiglyptes Sw. — Phaiopicus: Blyth, Malh.

### **Sectio 1.** *rufi, nigrofasciati, hallnce minuto.*

Hallux (ut in P. bengalensi (224) et aff.) brevior quam articulus primus digiti 2:di. Remiges et rectrices colore corporis rufæ, nigrofasciatæ. Fasciæ nigræ rectricis lateralis 9; rectricis mediæ 6 et apex longius niger. Gula cum regione malari (in plerisque) squamoso-picta: plumis oblongis, pallidimarginatis. *Mas* a femina differt, regione infra-oculari (neque malari), ab angulo oris, fere ad aures, crebre rubropunctata. — Sp. vel formæ plures, inter se simillimæ, nec satis pro differentia ætatis et varietate individuali cognitæ, ideoque dubiæ. De hac re conf. descr. P. badii, n:o 250. — Gen. Micropternus Blyth. 1849.

246. PICUS *rufinotus* Malh. in Musæis variis 1844; — Mon. II p. 1, tab. 46. — *P. phaioceps!* Blyth J. As. Soc. 1845; — major: fere 9-pollicaris, ala 135—140 mm; plumis gulæ rufis, pallidimarginatis. Remiges et rectrices rufæ fasciis angustis nigris; rectricibus mediis apice brevi (15 mm longo), nigro. — Corpus læte rufum, fasciis dorsi ventrisque crebris, nigris, sed pectus anterius late immaculatum. Rostrum nigrum angulo menti pallescente. — *Nepal* (Malh. Mus. Berol.); *Assam, India media, Burmah* (Jerd.). — Obs. nomen *phaioceps* hybridum.

247. PICUS *gularis* Jerdon Madr. Journ. — et Ind. I, 294; — Blyth Catal. 278; — R:bach Handb. 403; — *P. jerdoni* Malh. II, 3, t. 47; — paullo minor: ala circiter 115 mm (120 Malh.); plumis gulæ

læte rufis margine laterali pallidiore, lato. — Rufus, dorso alisque fasciis angustis, crebris, nigris pictis; gastræo immaculato; pileo fuscescente. Cauda minus rotundata, fasciis rectis, subintegris, sed in penna media, intus nullis. Apex brevissime fuscus: in pennis mediis, 8 v. 9 mm; (color tamen fuscus multo longius extensus, sed fasciâ angustâ rufâ divisus). — Ex *Bengalia* (Mus. Berol. Mas).

Alia specimina, plumis gulæ fuscis, margine albido pictis, describuntur (Malh. et Jerdon l. c. — An juniora?). — *India meridionalis.* — Caput sæpe resina quadam inqvinatum. Iris fusca (Jerd.).

Varietas paullulo fuscior in insula *Ceylon* invenitur (Jerd.).

248. PICUS *brachyurus* Vieill.? Dict. — et Enc. 1324 (male descr.); — Malh. II, 5, t. 46; — minor: 7 pollicaris; ala 105, feminæ 109 mm; plumis gulæ læte rufis, tenue, definite albidomarginatis (et, in femina, utrinque, intra marginem, puncto fusco ornatis). Corpus supra subtusque læte rufum, fasciis vix ullis; pileo concolore (in femina paullum fusco mixtum). Remiges omnes in pog. interno fasciis non latis, nigris pictæ. Ala *maris* (senioris?) extus immaculata; *feminæ* (junioris?) extus, tota, angustius fasciata. Rectrices fuscæ, fasciis rufis paullo angustioribus quam fasciis interjectis nigricantibus, apiceque longius nigricante (in mediis 20 mm vel longius). Fasciæ rectricum rufæ in mare interruptæ et obliquæ; in femina integræ et regulares. *Java* (Mus. Berol.).

249. PICUS *squamigularis* n. — (Forte M. *badius* Jerd. Ind. I, 295, obs. post M. gularem? non vero P. badius Raffl., "plus quam 8 pollicaris"). — Magnitudine æqualis præcedenti; circiter 7 pollices longus, ala maris 103, feminæ 107 mm; plumis gulæ nigrofuscis margine laterali latiore, pallide fulvescente, striolaque media (plerumque obtecta) rufescente. Corpus supra subtusque læte rufum, dorso postico alisque totis nigrofasciatis, pectore dorsoque antico immaculatis; pileo fuscomixto: plumis pallide fuscis, margine late, pallide rufescentibus. Remiges omnes rufæ, late nigrofasciatæ: fasciis nigris in pog. interno multo latioribus, quam interjectis, rufis; in pog. externo paullo angustioribus. Fasciæ rectricum nigræ et rufæ subæquales, vel nigræ angustiores; plerumque rectæ, regulares. Apex rectricis mediæ brevius niger (7—13 mm) Rostrum, ut præcedentium, totum nigricans. Digitus 4:us tertio paullulo brevior.

*Mas* (hodie nobis præsto forte junior?) regione suboculari rubropunctata; plumis cristæ (cervicis) vitta media, vel maculis, nigrofuscis, obtectis, pictæ; dorsi antici obtecte nigromaculatis; abdomine paullo fusciore quam pectore; tantum in crisso postremo nigrofasciato. Rectrices mediæ fasciis sat obliquis, apiceque nigro, 13 mm longo.

*Femina* (senior videtur) regione suboculari non rubromixta. Margines pallidi plumarum gulæ latiores quam maris. Plumæ cristæ rufæ, immaculatæ. Plumæ dorsi antici immaculatæ; dorsi medii stria tenui nigra, intra marginem, concentrica, sed obtecta, ornatæ. Plumæ laterum corporis abdominisque stria ejusmodi, sed non obtecta, pictæ. Fasciæ caudæ nigræ angustiores, magis regulares, apices pennarum mediarum brevius (7 mm) nigricantes.

Specimina descripta ex *Malacca* (Mus. Sthm, in oppido Singapore emta). — Ob differentias remigum et rectricum, minime junior præcedentis.

250. PICUS *badius* Raffl. L. Trans. XIII, 289; — major: Long. totalis fere 22 centim. (8 p. gall; $8\frac{3}{4}$ p. angl.); Ala circa 120 mm. — Plumæ gulæ, ut præcedentis, nigrofuscæ, sed margine toto (etiam apicis) pallido, striolaque media rufuscente. Corpus læte rufum, supra subtusque transversim nigrovarium, gutture inferiore (c. pectore antico) intensius rufo, immaculato. Fasciæ caudæ alarumque similes præcedentis, sed apex rectricum longius nigricans. Rostrum totum nigrum. Digitus 4:tus tertio paullo longior. Specimina duo masculina, *javana*, præsto sunt.

Mas senior, plumis gulæ striola media dilute rufa, basi lata, notatis; juguli immaculatis; pectoris antici, fascia media, obtecta, dilute fusca, pictis. Venter et latera corporis fasciis crebris, angustis, interruptis, fuscis, arcuatis et, postice, margini concentricis, varia. Plumæ pilei basi et medio pallide fuscæ, margine lato, sordide rufescente. Plumæ cervicis basi tantum fuscæ; dorsi totius, fasciis fuscis obtectis, curvatis, interruptis. Fasciæ in uropygio maculatim apparentes; in tectricibus caudæ integræ, latiores. Fasciæ rectricum nigræ regulares, rectæ, integræ, fasciis rufis paullo angustiores. Nigredo apicis, in pennis mediis 19 mm (sed in penna dextra, fasciâ angusta, rufa divisa; quare apex totus niger in hac penna tantum 13 mm). Fasciæ remigum nigricantes, in pog. interno, rufis latiores; in externo multo angustiores (præter pennam spuriam et secundam, in quibus latiores sunt. Ala 118 mm. — (*Bataviæ* a:o 1842 in coll. majore avium emtus).

Mas junior, regione suboculari vix minus quam præcedentis rubropunctata. Plumæ gulæ striola pallescente media tenuissima, parum apparente. Plumæ gastræi reliqui, ut in seniore, nigrovariæ; sed fasciæ, in ventralibus et lateralibus, integræ, parum curvatæ, non angustiores quam fasciæ interjectæ, rufæ. (Plumæ tamen paucæ, novæ, lætius rufæ, stria nigra angustiore, margini concentrica ornatæ, identitatem specificam hujus et præcedentis indicant). Plumæ pilei totæ fuscæ (quædam, apice, triturâ pallescentes); cervicis totæ rufæ; dorsi antici et postici, sicuti tectrices caudæ alarumque, fasciis nigris rectis, integris, latitudine fasciis rufis subæqualibus. (Tantum in dorso maxime antico fasciæ paullo minores et interruptæ sunt). Fasciæ remigum ut in descr. senioris; nigræ tamen ubique paullo latiores quam in illo. Fasciæ rectricum nigræ, rufis ubique evidenter latiores. Nigredo apicis in pennis mediis fere 25 mm longa; sed, in utraque, fascia rufescente, imperfecta, tenuissima, fere 18 mm ab apice sita, divisa. Ala 120 mm. — In vicinia urbis *Bataviæ*, a Doct. Mellerborg, suecano, a:o 1827 occisus.

Obs. Specimina plura hujus et præcedentium sp. in museis exoticis descripsi; differentias vero ætatis, mihi tum ignotas, minus adcurate notavi, quare incerta sunt, satiusque duxi, ea præsertim exponere, quæ hodie ante oculos habeo. Specimen tamen hujus Pici, ex *Sumatra*, in Mus. Berol. vidisse suspicor, cui ala fere 125 mm et nigredo apicis caudæ 12 mm.

251. PICUS *badiosus* Temm. Mus. Lugd.; — R:bach Handb. p. 404. — Hinc: Malh. II, p. 6, absque icone; — similis præcedentibus, et, ut videtur, inprimis P. gulari; sed minor: ala (4 p. germ. =) 105 mm. — Rufus, superne nigrofasciatus, subtus fere immaculatus; capite leviter infuscato; gula pallidius fusca, margine striolaque media plumarum pallidioribus. Remiges fasciatæ, sed prima (spuria) fusca, immaculata; qua re ab omnibus præcedentibus differre videtur. — *Borneo* (R:bach).

252. PICUS *fokiensis*; — *Brachypternus! fok.* Swinhoe Z. Proc. 1863, 87; — fuscus, dorso angustius rufofasciato; remigibus rufis, late nigrofasciatis; cauda rufa fasciis nigris, angustis. Plumæ pilei cervicisque elongatæ, angustæ; in *mare* fuscofulvescentes, in *femina* læte rufis; stria media fusca, in femina dilutiore, pictæ. *Mas* præterea regione subocculari rubropunctata agnoscitur. Rostrum fuscescens, angulo menti pallido. Iris rubido-fusca. Ala maris (5 p. =) 127 mm, feminæ 133. — Hab. in *China* (circa oppidum Foochow, prov. Fokien; ad mare, c:a 25⁰ lat.). Ab affinibus differt colore saturatiore et præsertim gastræo toto fusco, pro rufo. (Swinh. l. c.).

**Sectio 2.** *Fusci, transversim albidostriati, halluce ordinario.*

Hallux, præter unguem, ar iculo primo digiti 2:di longior. Remiges et rectrices nigricantes, maculis marginalibus, albidis, pictæ. Gula transversim tenuissime striata. Vitta malaris *maris* rubra, ordinaria; *feminæ* nulla. Genus Meiglyptes rec.

253. PICUS *brunneus* Eyton Z. Pr. 1839, 106; — *P. luridus* Nitzsch Pterylogr. 137 (nomen re vera antiquius, sed non ante 1840 in publicum editum). — *P. pectoralis* Malh. II, 8, t. 47 (nec P. pect. Lath.); — fuscus, transversim tenue pallidistriatus, uropygio concolore. — Supra subtusque obscure, sordide fuscus. Caput superne lateribusque immaculatum, præter vittam malarem maris rubram. Striolæ transversæ dorsi flavidæ, tergi obsoletiores. Gula fulva, lineis transversis tenuibus nigris, crebre striata; gutture reliquo nigro, inferius transversim striato maculâque laterali majore, fulvoalbida. Venter fuscus, lateribus tenue flavidofasciatis. Remiges, margine externo punctis (fere 8 v. 9), intus maculis majoribus, marginalibus, sordide albidis. Rectrices corpori concolores, maculis parvis, albidis, utriusque marginis 5 v. 6 (sed spatium satis est maculis fere 10). Rostrum fuscum, subtus paullum pallescens. Dig. 4:us tertio definite longior. Ala circiter 100 mm. (98—104; femina plerumque mare major). Habitat in *Sumatra* et *Malacca.*

Hic plerumque *P. pectoralis* Lath. habetur, etsi nulla res in illius descriptione, cum hoc Pico convenit. Conf. sp. spurias.

254. PICUS *tristis* Horsf. Linn. Tr XIII, 177; — niger, transversim albido striatus, uropygio fulvoalbido. — Caput et collum sordide albida, creberrime, transversim nigrostriata, striis in genis et gula tenuissimis; in gutture inferiore ventreque sensim latioribus. Lorum c. orbita fulva. Vitta malaris *maris* rubra. Venter fuscus vel niger, minus vel parum striatus. Dorsum anterius, alæ, hypochondria et crissum nigra

paullo latius albido fasciata. Dorsum posticum fulvoalbidum, immaculatum. Remiges nigræ, maculis utriusque marginis albidis; externis, in primariis, parvis. Rectrices nigræ, maculis majoribus, albidis; utriusque marginis 5, præter marginem apicis lateralium, albidum. Rostrum nigrum. Pedes fuscescentes. Digitus 4:us tertio æqualis. Ala 92—100 mm (feminæ plerumque minores). Habitat in *Java*, *Sumatra* et *Malacca*.

*a*) pectore, ad pedes usque, cum gutture infimo pure nigro, non striato; loris nigropunctatis. — *Mas* (vetus?), ex *Java*, in Mus. Berol. adest; relictis, in pectore nigro, plumis paucis, ut in forma sequenti (*b*) fasciatis. — *P. tristis* propr., Horsf. l. c.; — Malh. II, 10, t. 48; — *P. poicilophus!* Temm. Col. 197. — Hæc forma, a quibusdam, unice *javana* habetur; Malherbe vero etiam in Malacca etc. inveniri credit. Differentias a forma sequenti, præter memoratas, non inveni; neque feminam vidi, quæ vero a Malh., l. c., ventre nigro prædita, describitur.

*b*) Ventre toto nigrofusco, striis crebris, pallescentibus, plus minusve interruptis, vario; loris haud nigropunctatis. *Mares* et *feminæ*, in *Sumatra* et *Malacca* collecti, freqventius ex oppido Singapore afferuntur. Hæc igitur forma his terris propria habetur: *P. grammithorax* Malh. II, 12, t. 48; — (*P. tristis* Raffl. L. Trans. XIII, 290). — Sed in Mus. Stockh. adest *mas* (ex Singapore 1852), inter ambas formas intermedius: plaga ventris anterioris magna, nigrofusca, immaculata, indeterminata et ad latera paullum albido-varia. *Femina* quoque, aliusque *mas.*, plaga pectorali minore, nigricante, instructi, pluresque, utriusque sexus, ventre toto striis integris picto. Præterea mas nigriventris, nuper descriptus (lit. *a*), plumas fasciatas (ptiloseos præcedentis) relictas ostendit. Nigriventres igitur (*a*) aves seniores, fusciventres, juniores esse suspicamur.

---

## *Pici incerti et spurii.*

### *a*) Species dubiæ.

1. *P. pectoralis* Lath. Suppl. Ind:s, ex Syn. Suppl. II, p. 372: "rufus, nigroundulatus, abdomine rufescente, nigromaculato; fascia pectorali nigra. Long. 9 poll Hab. in *Nova Zelandia*." "Similis P. rufo sed major" (Lath.). — Hanc descriptionem suspectam et, saltem patriâ, falsam esse, jam observavit Wagl. Syst. 74. Gray et Malherbe descriptionem *P. brunnei* essse crediderunt; cum quo tamen vix ulla re convenit. Nomen igitur potissimum incertum habendum, vel plane rejiciendum.

2. *P. qvadrimaculatus* Miller Cimel. Phys. 99, t. 54; — Wagl. Syst. Pici inc., sp. 4 (ex Mill.): magnitudo P. viridis; non cristatus. Superne (dorso c. tectr. alarum, cerviceque) viridis, pileo toto uropygioque flavis. Gastræum canum (cæruleo-cinerasc.); gula nigra, vitta laterali alba. (Præterea, ex icone: crissum album; tectrices alarum maculis 4 albis ornatæ; remiges et rectrices nigræ; rostrum nigrum; pedes olivacei). Hab. in *Ceylona*. (Ex Wagleri opere). — Hic videtur sp. quædam e tribu P. viridis, male vel ad libitum colorata.

3. *P. turati* Malh. v. sp. 45 e.

4. *Meiglyptes jugularis* Blyth Journ. A. S. 1845, — et Catal. p. p. 669 (c. descr.); — Malh. II, 11 (ex Blyth, fig. nulla). "Similis P. canenti (supra sp. 27), differt vero cervice fulvo-albido, gula nigra striolis albidis varia, et præsertim forma rostri alia" [quam propter a Blythio in genus Meiglyptem disponitur]. "Ala (4 p.) 101 mm; cauda ($2\frac{1}{8}$) 53 mm. — Nigrofuscus, vitta malari *maris* rubra; plumis occipitis elongatis nigris; collum fulvoalbidum tæniâ ante alas ducta continuatum. Uropygium et vitta obliqua alæ fulvoalbida. Remigum fasciæ basi, intus, latæ, maculæque externæ parvæ albidæ. Frons et gula plus minusve albidopunctatæ vel striolatæ. — *Tenasserim*" (Blyth). Conf. post seqv.

5. *Meiglyptes sordidus* R:bach. Handb. 402 (fig. 0); — Malh. II, 8 (ex R.bch); — "nigrofuscus cristatus; cervice, lateribus colli, scapulis margineque scapulari (?) et ala subtus, punctis (sprenkelfleckchen) remigum primariarum, fasciis latis maculisque cubitalium, tergoque sordide fuscofulvis. Ala (4 p. 5 l. =) 116 mm; cauda (2, 5 =) 65 mm. Rostri forma ut in genere Meiglypto; ceterum similis Hemicercis. *Tenasserim* 2 specim. cognita." (R:bch).

Pici ambo h. l. descripti (sp. 4 et 5) maxime affines et fere ut P. canente picti videntur, a quo tamen differunt cervice pallido, gulaque nigricante. Cauda brevissima etiam sp. Tribus nostræ tertiæ indicare videtur, sed ob formam rostri inter Meiglyptos (in Tribu nostra 30) enumerantur, quæ mira sane characterum consociatio. Si a tironibus in ornithologia descripti essent, hos Picos juveniles credidissem; plerique enim Pici, in statu juvenili, rostrum ut sp. tribus nostræ ultimæ, acutum et breve habent.

6. *P. thibetanus* Natt. v. post P. bengalensem, sp. 224.

7. *P. khan* Philippi; descriptio nobis adhuc ignota. Conf. post sp. 63.

*b*) Sp. descriptione manca vel falsa non determinandæ.

8. *P. persicus* Gm. Lath. 34. Conf. obs. post Tribum 19.

9. *P. flavipes* Gm. (ex Penn. Arct. Zool.). Determinari neqvit sed a Lathamo, qui sp. Pennanti plerumque melius noverat, inter synonyma P. hirundinacei enumeratur.

10. *P. fasciatus* Gm.; Lath. 12; — Wagl. Syst. 54 (ex Lath.); — descr. incompleta, sp. quandam P. lineato affinem indicare videtur.

11. *P. nigroflavus* Actes Soc. d'hist. Nat. I, n:o 33 (indeque Wagl., post gen. Picum); — non determinandus; an Picus?

12. *P. aurocapillus* Sw. Conf. obs. post P. gerini, sp. 162.

13. *P. flavicollis* Vieill. v. post P. undatum, sp. 242.

14. *P. cristatus* Vieill. v. post P. chlorozostum, sp. 211.

15. *P. karelini* Brandt. v. post Picos virides, Trib. 19.

*c*) Sp. defectu partium non agnitæ.

16. *P. semirostris* L. est P. viridis juv. in spiritu vini asservatus, vagina cornea maxillæ superioris amissa. Specimen in Mus. Stockh. asservatur.

17. *P. leucurus* Pr. Paul. conf. sp. 45 d.

*d*) Sp. aliorum generum avium, cum Picis confusæ.

18. *P. altivolans* Lath. Suppl. 2:dum, ex Gerini Orn. II, 49, t. 173, ubi nil præter nomen et icon, subsimilis *Galbulæ*, nec Pico, exhibetur.

19, *P. pitius* Mol., Gm.; v. sub P. chilensi sp. 217.

20. *P. cafer* Vieill. Dict.; Enc. 1323. Diagn. ex P. cafro Gm.; — sed descr. gallica ex. Pic Promepic Le Vaill. Prom. t. 32, = *Micropogon sulphuratus* Lafr. Mag. de Zool. 1836, tab. 60, *Trachyphonus* cafer Bp. Csp. 142, quæ avis est Bucconina. — (*Cucupicus cafer* Less. Tr. 166!)

*e*) Sp. arte compositæ.

21. *P. boiei* Temm. Pl. Col. 473 (nomine recentius dato quam P. boiei Wagl.); cutis tota composita. *P. sumptuosus* Less. Tr. 229. (Conf. Obs. Malh. I, p. 11).

22. *P. undosus* Cuv. R. A., *P. undulatus* Vieill et *P. undatus* Temm. Pl. Col. Tabl. Meth. p. 63, ex Pl. Enl. 533, v. notam sub P. americano, sp. 39.

23. *P. smaragdinicollis* Malh. 1849; est P. exalbidus cum apposita macula jugulari, viridiplumosa (Malh. II, 30).

24. *P. meriani* (Dendromus mer.) Hartl. W. Afr. 181, est P. icteromelas, cum plumis apice rubris juxta abdomen appositis (Malh. II, 182)

## Genus II. PICUMNUS Temm. Pl. Col. 371 (1824).

Cauda parva: longitudinem circiter dimidiam alæ æquans; mollissima; pennis 10 angustis, linearibus, apice rotundatis. Pennæ laterales paullo breviores.

Rostrum rectum, capite brevius, apice compresso, leviter cuneato; carinis nasalibus obsoletis culmineque carinato (præter div. ultimam). Furca menti parum ante nares ducta, mediam suturam non attingens. — Nares setulis sparsis obtectæ.

Pedes Pici. Digitus 4:tus tertio sublongior (præter Trib. ultimam). — Lingua paullo minus extensilis quam Pici. — *Sexus* præter picturam pilei (maris plerumque antice rubropicti) inter se similes. *Juniores* quoque similes, sed obsoletius, sordidius picti. Aviculæ parvæ: pleræque inter aves omnium minimas numerandæ. Scandunt in arboribus "ut Pici" (Pr. Max. Beytr.; Jerdon; Verreaux), vel potius ut Sittæ, quibus cauda non est auxilio. Habitant in partibus tropicis utriusque orbis.

### *1:o. Species americanæ.*

#### Tribus 1. Picumni enormes

ceteris majores, virescentes, rectricibus fuscescentibus, unicoloribus. — Pileus in sp. cognita flavus, rubrotinctus, non albopunctatus. Alæ et proportio remigum ut in Tribu sequente; sed primariæ paullo breviores: vix cubitales posteriores excedentes. Rostrum et pedes ut in sp. typicis formatæ.

1. PICUMNUS *micromegas* n. superne læte fuscoviridis, immaculatus; subtus totus flavido-albidus, striolis virentifuscis, longitudinalibus, apice paullum dilatatis, pictus. Frons flava; vertex flavorubidus; occiput colore dorsi paullo flavidius. Remiges fuscæ, extus fulvescentivirides, intus læte fulvæ. Rectrices supra subtusque viridifuscæ absque pictura pallida. Rostrum et pedes cinerascentes.

Gigas inter nanos: magnitudine fere Passeris. Longitudo totalis circiter 140 mm. Alæ 74; Caudæ 55; Rostr. a fr. 15; Tars. 18; dig. 3:us cum ungue 18.

Specimen unicum, mihi cognitum, aderat in collectione avium ditissima, in *Brasilia*, a cl. Freyreiss facta; quæ a Consule suecano

Westin in Rio Janeiro, circa annum 1817 acquisita, patriis musæis dono data est. Avicula nuper descripta, ut videtur rarissima, hodie in musæo stockholmiensi asservatur. Magnitudine et colore subsimilis est Pico passerino Auct. vel icterocephalo, cujus pullus hornotinus interdum forte habitus esse potest, etsi forma rectricum longe differat. Alterum tamen specimen in musæis non inveni.

---

## Tribus 2. Picumni normales

pileo nigro punctis crebris discoloribus (præter sp. 24 jun.) ornato; rectricibus nigris, albidovittatis. *Mas* fronte verticeque rubromaculatis. — Sp. parvæ variegatæ. Pileus, cum cervice, niger (r. fuscescens), in *femina* totus, in *mare* postice, punctis parvis rotundis, albis, guttatus; *maris*, antice, a rostro ultra medium, maculis apicalibus, oblongis, rubris, creberrime ornatus. Rectrices purius nigræ; 2 mediæ pogonio interno flavidoalbo; laterales, utrinque 2, vitta externa obliqua, alba, (pogonio interno nigro, apicem versus albo; externo longius albo, ad apicem nigromarginato); 3:tia ad apicem plus minusve albomarginata. Ala sat convexa, pennis cubiti anticis ad $\frac{4}{5}$ circiter alæ, posteriores ad $\frac{7}{8}$ alæ extensis. Primariæ: 1 parva, sed tectricibus longior; 4—6 subæquales; 3 = 8; 2 brevior quam 10; 3—6 extus sinuatæ. Digiti 4.

*a*) Sp. rufiventres: gastræo rufo, immaculato. — Sp. a typicis, picturâ capitis, paullo magis discedentes; ceterum vero differentias non observavi. Neque elucet cur, nuper, hæ sp., potius quam subdivisiones sequentes, ut genus distinctum a reliquis separentur; characteres enim, sive ratio separandi, pro usu hodierno, minus probando, etsi auctori commodo, nulla exposita est. Craugiscus Mus. Hein. IV, 2, pag. 10, typo P. cinnam).

2. PICUMNUS *rufiventer* superne fuscescens, subtus totus læte rufus, immaculatus. — Pileus (*maris?*) niger, rubromaculatus (punctis occipitis nullis albis?). Cauda albovittata (Bp. Malh.). — *Asthenurus rufiventris* Bp Z. Proc. 1837, 120; — Malh. Pic. II, 283, t. 118, f. 2.

Avis junior? superne virentifuscus; subtus totus, cum lateribus capitis collique, sordide rufo-fulvus; corpore immaculato. Pileus fuscus, maculis frontis verticisque rotundis, fulvescentibus, striolisque ad latera occipitis paucis, ejusdem coloris. Rectrices, solito modo, nigræ, albovittatæ. Ala 58 mm. Rostrum et pedes, pro corpore, solito majores; dig. 4:us 21 mm. (Unicum specimen vidi in Mus Paris. non ab auctt. citt. descriptum).

Habitat in *Brasilia occidentali*, edita, Peruviæ finitima.

3. PICUMNUS *cinnamomeus* supra subtusque læte rufus, immaculatus, fronte lorisque albidis. — Pileus niger; *maris* totus flavoguttatus, *feminæ* antice immaculatus, postice alboguttatus. Frons, cum loris, alba plumis ut in plerisque sp. rigidulis, erectis, setulosis, apicibus setarum

nigris. Alæ nigrofuscæ, tectricibus rufolimbatis; remigibus cubiti latius fulvogriseo-marginatis. Cauda ut in sp. typicis picta. Ala 55 mm. (Mus. Brem. Lugdun. Berol.). — *Junior* similis adultis, obscurius pictus, pileo fusco, postice maculis majoribus, fulvoalbidis, indefinitis picto (M. Berol.). — *Columbia; Carthagena.* — *P. cinnamomeus* Wagler, Isis 1829, 646; — Lafr.; — Malh. II, 277, t. 119; — *Craug. cinn.* Mus. Hein. 10.

*b*) Sp. guttatæ: gastræo rufo vel nigro, alboguttato.

3. PICUMNUS *ocellatus* supra subtusque rufofuscus, alboguttatus. Guttæ corporis minus pure albæ, sed majores, quam pilei (diam. $1\frac{1}{2}$ mm); singulæ in summo apice cujusque plumæ sitæ; rotundæ, cum puncto nigro, antice adnexo et, in plerisque, margine tenuissimo nigrofusco (s. iride ocelli) cinctæ. In gula crebriores sunt guttæ; in lateribus capitis minores, oblongæ, quasi striolæ albæ; in abdomine sensim latiores et minus evidentes; in dorso pauciores. Alarum tectrices minores apice gutta ejusmodi ornatæ: Remiges nigricantes; cubitales extus pallescenti limbatæ. Tectrices majores distincte, pallide griseo marginatæ. Pileus, cauda, proportio remigum, v. in descr. generali (Trib 2). ♂♀ 4 pollicares; Ala 52 mm; c. 31; r. fr. 13; tars. 13.

Junior guttis majoribus, indefinitis; dorsi obsoletis; ventris latissimis, fuscescentibus, interjectis lineolis transversis, nigrofuscis. In *femina* jun. pileus niger, postice tantum, guttulis oblongis, albis, pictus, ceterum immaculatus.

Habitat in *Brasilia* (plures e Bahia accepimus).

*Picus pygmæus* Licht. Verz. 1823, 12; — *Picumn. pygm.* Lafr. 1845; — Malh. tab. 105; — Mus. Hein. 23. — *Picumn. ocellatus* Wagler Isis 1829, 646; — Malh. II, 280. — (Obs. H. l. nomen recentius, aptum et facilius in memoria tenendi, pro antiquiore, minus apto, omni jure anteponendum censeo. Nomina *pygmæus, exilis, minutus,* pro pluribus sp. usurpata, facilius confunduntur).

5. PICUMNUS *asterias* n. superne fuscus, subtus, a rostro ad anum, niger, crebre alboguttatus. — Similis præcedenti, sed gastræum nigrum, guttis rotundis, majoribus crebrius maculatum. Maculæ dorsi quoque majores, sed pauciores; in *femina* (juniore?) parum distinctæ. Hypochondria et crissum nigra, albofasciata. Pileus, rostrum etc. ut præcedentis. Ala 50 mm. — *Brasilia* (Mus. Leydense, ubi, ante 1864, signatus P. lichtensteinii; sed P. licht. Lafr. conf. sub sp. 9).

*c*) Sp. fasciiventres
s. typicæ: gastræo (saltem antico) albido, nigrofasciato.

6. PICUMNUS *ruficollis* griseofuscus, subtus albo nigroque fasciatus, cervice, cum lateribus capitis collique, lorisque, dilute rufis. — Simillimus sequenti; differt colore colli rufo, rostroque paullo minore. Pileus, pro vario sexu, et cauda ut in reliquis. Dorsum senioris immaculatum; junioris? maculis pallescentibus, transversis, fere obsoletis. Pennæ cubiti extus sordidius, intus lætius fulvolimbatæ. Fasciæ ventris et juguli ut in sequente; gula cinerascens, vix fasciata. Ala 54 mm. c. 33. — *Brasilia* (Mus. Stockh.; Berol.).

*P. minutus* Licht. Verz. p. 11 (nec Linn.); — *P. exilis* Temm. Pl. Col. 371, 2 (nec Licht.); — Wagl. l. c. — Malh., t. 116 fig. 3, 4, et t. 120, 3; — *P. ruficollis* Wagl. Mus. Berol. — *P, temmincki* Lafr. Rev. Zool. 1845, 6; — Mus. Hein. 21. — (De nomine conf. obs. sub P. ocellato).

7. PICUMNUS *cirratus* superne fuscogriseus, subtus totus albus, nigro fasciatus, fasciis albis nigrisque subæqualibus. — *Mas.* Pileus pure niger, antice rubromaculatus (cf. descr. Tribus 2), postice et lateribus punctis pure albis, parvis (latit. ½—fere 1 millim.) guttatus. Lora fulvescentialba, plumis subrigidis, setulis nigris terminatis. Regio postocularis (auris) fusca, pallidius fasciata et pallidius cincta. R. malaris (in mare perfecto) plumulis albidis, fuscomarginatis, qs. guttata. Dorsum cum uropygio crebre, sed obsolete, fusco pallidiusque fasciatum. Gastræum sordide album, non flavescens; usque ad caudam transversim nigrostriatum: pluma singula basi fasciisque (in jugulo 1 dein 2, ad latera ventris 3) nigris, limbo apicis albo. Fasciæ 3 nigræ cum interjectis albis, in ventre 8 mm, in jugulo 6 v. 5, implent; albæ paullulo latiores quam nigræ. Fasciæ in gula tenues, obsoletæ. Alæ extus dorso fere concolores; tectrices apice pallidiusculæ; pennæ cubiti extus pallide griseolimbatæ; omnes intus fulvoalbidæ. Rectrices nigræ, albovittatæ (v. descr. Tribus 2:dæ). Rostrum nigrofuscum, subtus, basi, longius pallescens; Pedes fusci. Longit. tot. 4 pollicaris; rostr. fr. 13; ala 54; c. 35; t. 15; dig. m. c. u. 17.

*Femina* similis mari, sed pileo toto albopunctato. Gula et regio malaris tenuius nigrovaria; macula postocularis fuscior, ad latera colli guttis pluribus, albidis cincta. Mare vix minor: ala 53 mm. c. 34.

Habitat in *Brasilia;* in parte meridionali frequens (M. Stockh.).

*Picumnus cirratus* Temm. Pl. Col. 371, 1; — Mus. Hein. 19; — *P. minutissimus* Pr. Max. Beytr. IV, 378 (nec Pall. ex Gm.). — *P. minutus* Wagl. Isis 1829, 645; — (et Licht Verz. 1823, cum sp. præced. confusus); — *P. cayennensis* Lafr. R. Zool. 1845, 6; — Malh. Pic. tab. 120; 1, 2. — "P. temminckii" Malh. t. 116: 1, 2.

8. PICUMNUS *azaræ* simillimus præcedenti, sed major: ala 60 mm, c. 40; fasciis ventris nigris multo angustioribus quam interjectis, albis. — *Femina* sola cognita: pileo omnibusque partibus ut in femina præcedentis pictis. Color dorsi forte paullo pallidior, sed eodem modo undulatus. Fasciæ gastræi nigræ angustiores, albæ latiores; sed spatium vix minus implent Lora et regio auris ut in præcedente, ambitu hujus latius albido. Gula et regio malaris ut in femina præcedentis, vix variegata. Rostrum et pedes paullo graciliores quam præcedentis — *Brasilia merid.* (Mus. Berol.; unicum specimen). Forte etiam Paraguay?

*P. azaræ* Mus. Hein. 20; — (idem habetur ac. Az. n:o 260 = *Yunx minuta* Vieill. Enc. 1500, ex Az.).

9. PICUMNUS *minutus* superne virens, fuscomaculatus. subtus flavus, nigrofasciatus. — Caput, pro sexu, ut in P. cirrato pictum. Lora fulvescenti alba. Regio auris fuscescens, pallidifasciata. Dorsi plumæ fuscæ, radiis flavidis fimbriatæ maculisque scapi 2, fuscis ornatæ. Hæ maculæ in senioribus latiores, transversæ vel subcordatæ, absque guttis

flavis; in junioribus minores, oblongæ, cum punctis 2 viridiflavis, paullo minoribus, alternæ: altera intermedia, altera apicis. (Singula igitur pluma dorsi, in juniore; maculis 2 nigricantibus et 2 flavidis, secundum scapum, ornata). Maculæ dorsi flavidæ minores quam maculæ tectricum albæ. Plumæ gastræi flavoalbidæ, fasciis 2 v. 3 nigris, apiceque flavofimbriato, unde venter flavidus apparet. Fasciæ nigræ gutturis infimi et pectoris antici integræ, paullo angustiores quam fasciæ flavæ; 3 spatium 5 mm occupant. In ventre medio et posteriore, præsertim in femina, fasciæ interruptæ et in maculas transversas abbreviatæ. Gula vero sordide albida, non flavida, vix vel parum nigrovaria. Regio malaris albida, fuscocinereo fasciata. Alæ extus dilutius fuscæ. Macula in apice tectricum alba, major ($1\frac{1}{2}$ mm lata); rotundata, transversa, tenuissime nigromarginata et, antice, macula majore, nigra, semicincta. Maculæ tectricum anticorum multo minores. Remiges intus fulvescenti albo limbatæ; cubitales extus latius flavido-fimbriatæ, et, ad apicem, definitius albidomarginatæ. Rectrices ut in reliquis pictæ. Rostrum et pedes ut præcedentium. Sp., cum sequenti, minima inter cognitas: Long. $3\frac{1}{2}$ poll. (80—90 mm); ala 48, c. 24; tars. $12\frac{1}{2}$ mm. — Femina paullo minor: ala circa 46 mm. — Habitat in *Guyana* et *Brasilia septemtr.* (Bahia; Mus. Stockh.; specim. multa).

*Motacilla minuta* L. S. N. X, 189 (ex Mus. Ad. Fr.); — *Pipra minuta* L. Mus. Ad. Fr. II, 34; — et Syst. Nat. XII, 340; — Gm. 1003, et Lath., Pipra sp. 12. (Deinde hæc sp. diu non descr.). — *Picus exilis* Licht. Verz. 1823, p. 11; — Lafr. l. c. (Picumn.); — Mus. Hein. 21; — *P. cirratus* Wagl. l. c. (nec Temm.); — *P. lichtensteinii* Lafr. l. c. — *P. hypoxanthus* R:bch. Handb. 344, fig. 4112—13 (senior); — Malh. II, 294, t. 119: 1, 2; — *P. guttatus* R:bch l. c. (junior); — Malh. tab. 116: 5, 6 (P. buffoni, maculis dorsi nimis definitis).

10. PICUMNUS *buffoni* superne fuscovirens, maculis majoribus, definitis, albidis guttatus; subtus totus virentialbidus, regulariter nigrofasciatus. — Similis P. minuto, a quo præcipue picturâ dorsi differt. Maculæ dorsi albidæ, ut in præcedenti: 2 cujusque plumæ, altera in medio, altera in apice scapi sitæ; longitudinaliter ovales, 2 mm longæ; antice posticeque latius, ad latera tenue fuscescenti-cinctæ, Hæ maculæ in femina sordidius albidæ. Maculæ tectricum tantum apicales, albæ, definite nigrocinctæ, dorsalibus minores (vel non majores); quædam, in tectr. minoribus, angustæ, 2—3 mm longæ, striolas albidas exhibentes. Fasciæ ventrales minus, quam præcedentis, interruptæ Pileus utriusque sexus, alæ, cauda, ut in præcedenti. — P. minuto fere minor, ideoque minima sp. cognita: ala circiter 45—46 mm. *Cayenne* (Mus. Lugd.; Britann.).

*Petit Pic de Cayenne* Pl. Enl. 786: 1 (fig. a Gm. Lath., Vieill. ad Iyngem minutissimam citata); — *P. buffoni* Lafr. R. Z. 1845, 6; — Mus. Hein. 23. — (Obs. Icon Malh. t. 119, 3, P. guttatus appellatus, forte hujus femina? — Lafr. l. c. p. 9, eam formam, quam nos pro P. minuto seniore descripsimus (maculis dorsi fuscis, nullis flavis), ad P. buffoni trahit).

11? PICUMNUS *lafresnayi* J. Verr. Malh. II, 282, t. 118: 4, 5; — superne virentifuscus, leviter fuscoundulatus (vel maculatus); subtus

totus albidus, lunulis maculisve fuscis interrupte fasciatus. Pileus fuscus, alboguttatus, et, in *mare*, antice rubromaculatus. Alarum tectrices fulvescentes; pennæ cubiti pallidius limbatæ. (Rectrices nigræ et albæ; an solito modo?). Magnitudo in hoc genere media videtur. (Ex icone Malherbii; descriptio enim manca et evidenter incorrecta). Patria: *Ecuador*. — Hæc sp. duabus præcedentibus et imprimis P. minuto affinis videtur, sed incerta, a me non visa.

12. PICUMNUS *pumilus* Mus. Hein. 16; — superne virentifuscus, dorso tectricibusque immaculatis; subtus totus albidus, fasciis nigris, tenuibus, latius distantibus, regularibus pictus. — Remiges fuscæ, extus plus minusve virentilimbatæ. Latera capitis albido fuscoque varia. Pileus *feminæ* jun:s fuscus, albopunctatus (senior et *mas* ignoti). Rectrices ut in omn. Ala (2 poll. germ. =) 52 mm. *Patria* ignota (Mus. Hein. — Sp. mihi ignota; similis præcedentibus videtur).

13. PICUMNUS *orbignyanus* fuscogriseus, subtus sordide albus, nigrofasciatus, immixtis maculis rotundis, albis, nigrocinctis. — *Mas* similis P. cirrato; color generalis ejus. Dorsum tamen non transversim undulatum, sed maculis plumarum apicis, rotundatis, subpallidis, parum conspicuis, saltem antice, parce notatum, et tectrices alarum tenuius pallescentimarginatæ. Plumæ juguli pectorisque anterioris basi fuscæ; dein fasciis 2 albis, fascia intermedia nigra separatis, et præterea: macula apicis angustioris, rotundata, alba, latius nigrocincta, ornatæ. Hæc macula alba, in plumis juguli, cum fascia alba, media, conjuncta et apice tenue nigromarginata; in pectore anteriore, colore nigro a fasciis mediis separata, et vix fuscomarginata. In pectore posteriore et abdomine, macula apicis, dilatata, evanescit, et nigredo ejus anterior maculam transversam, vel fasciam abbreviatam exhibet. Pileus, lora, latera capitis c. regione malari, gula, rostrum et remiges ut in P. cirrato. (Cauda similis caudæ illius videtur; sed rectrices 2 mediæ in specim. nostro desunt). Ala 53 mm. — *Brasilia*. (Mas, ex coll. supra, sp. 1, memorata, Freyreisio-Westiniana, in Mus. Stockh. asservatus; alium. etiam ex Brasilia, in M. Paris. vidi. *Femina* mihi ignota).

*P. d'Orbignyanus* Lafr. R. Zool. 1845, p. 7 (? ex descr. mala, in Mus. Hein. p. 15 verbotim translata, nil certi concludi potest. Specimen in itinere Orbignyi, loco incerto inventum. — Hæc sp., ut plures hujus generis, a Malh. confuse exposita. — Nomen, in nomenclatura latina, orbignyanus, vel dorbignyanus, scribendum censemus).

14. PICUMNUS *spilogaster* n. superne griseus, subtus albidus, gutture toto (c. parte infima) regulariter nigrofasciato, ventre longitudinaliter nigromaculato. — Similis P. cirrato, sed major. Fasciæ gutturis totius ut in P. cirrato formatæ, non terminales, sed paullo angustiores. Plumæ pectoris (s. ventris anterioris) albidæ, nec flavidæ, basi maculaque minore, cordato-oblonga, pone apicem sita, nigricantibus. Maculæ istæ, anteriores, in femina, striâ scapi nigrâ, cum basi plumæ conjunctæ; posteriores liberæ. Hypochondria parum maculata. — Caput, pro sexu, alæ, cauda, ut in P. cirrato picta. Lora albida, minus nigrosetulosa. Dorsi plumæ non pallescenti undulatæ, sed macula apicis obsoletiore, pallescente, terminatæ. Gula feminæ, ut in sp. affinibus, vix nigrovaria.

Ala 56 mm, c. 28; femina: ala 56, c. 32. — *Guyana* (Mas. et femina, Mus. Berol.).

*P. minutus* Mus. Hein. p. 17 (minime vero Pipra minuta Linn.); — (P. minutus Cab. Schomb. Reise III, 714, non descriptus; forte alius?).

Obs. Hæc sp. ex mera conjectura, in Mus. Heineano l. c., eadem habetur ac *P. minutus* (L.), sed falso; descriptio enim Linnæi omnem dubitationem de sp. descripta tollit (conf. sp. 9 nostram, P. minutum). — Potius vero idem esse posset ac *Iynx minutissima* etc. auctorum subsequentium, qui avem tantum ex descriptione Brissonii novisse videntur. Quod tamen, ex eo, minus probabile fit, quod Brisson, descriptor attentus et curiosus, fascias nullas gutturis pectorisve memorat, sed gastræum totum, a gula ad anum, plumis albidis, fuscomarginatis vestitum, rectricesque fuscas, neque nigras, dorsum vero rufescentem dicit. Potius igitur sp. quandam e subdiv. sequenti descripsisse videtur. Synonymia aviculæ Brissonianæ hæc erit:

*Picus cayanensis minor* Brisson, IV, 83, sp, 32 (fig. 0. Long. $3\frac{1}{4}$ poll. gall. = 88 mm). — *Yunx minutissima* Gm. 423 (descr. ex Lath. Gen. Syn. I, 596, sp. 48, ubi descr. tantum ex Briss. c. add. ex Firmin. Nomen vero ex Pallas; v. mox infra); — Vieill. Enc. 1299 (descr. ex Briss.); — *Picus minutus* Lath. sp. 55 (ex Gen. Syn.); — *Picumnus cayanensis* Lafr. R. Z. 1845, 6 (Synonymia absq. descr.; sed *P. cay.*, ibid. p. 8 descriptus, P. cirratus videtur).

His omnibus accedit *Picus minutissimus* Pall. n. Nord. Beytr. III, 5; t. 1 fig. 2; ubi icon aviculam avi Brissonianæ affinem ostendit. Descriptio vero: "maculis dorsi albidis, colore generali rufescente etc." exhibet nostrum *P. squamiferum* (sp. 17) vel sp. ei affinem. Nomen vero *P. minutissimus*" male tribuitur huic sp., inter majores generis numerandæ. Novum igitur supposui.

*Yunx minutissima* Vieill. Gal. t. 23 videtur P. buffoni. — *Y. minuta* Vieill. Enc. 1300, unice ex Az. 260, forte = P. azaræ (v. supra sp. 8).

*d*) Sp. squamosæ:

plumis gastræi (saltem anterioris) sub-parabolicis, firmioribus, pallidis, margine definitiore, plerumque nigro, insignibus.

15. PICUMNUS *guttifer* n. *Mas* superne griseofuscus, maculis dorsi rotundatis, albis, subfuscomarginatis, (diam. fere 2 mm), cum puncto majusculo, nigro, antice adnexo; una in apice singulæ plumæ. Maculæ ejusmodi in tectricibus alarum multo minores, oblongæ, nigromarginatæ. Latera capitis et colli nigrofusca, albomaculata. Gastræum antice nigricans maculis crebris, rotundatis, suboblongis, albis, tenue nigrocinctis; unica, terminali, cujusque plumæ. In gutture inferiore accedunt fasciæ albæ, una vel duæ cujusque plumæ, plus minusve interruptæ. In pectore antico fasciæ maculæque sensim mutantur. Plumæ ventris albæ, margine tenuissimo nigro, maculaque media longa, nigra, apice subacuta, basi latiore, sagittata et cum basi plumæ fusca conjuncta, instructæ. Plumæ gastræi apicem versus angustæ, attenuatæ. — Pileus pure niger, antice rubromaculatus, postice albopunctatus. Remiges primariæ vix pallidimarginatæ; cubitales posteriores extus pallide griseolimbatæ. Cauda nigra, albovittata. Rostrum nigricans, infra pallescens.

Pedes cinerascentes. Major: ala 58 mm. Picturâ similis P. orbignyano. — Ex *Brasilia* interiore media; (Prov. Goyaz; unde mas, in Mus. Paris., a Castelnau et Deville 1846 oblatus, exstat).

16. PICUMNUS *lepidotus* Mus. Hein. p. 14; — *Mas* superne fuscus, plumis dorsi macula apicis majore (lat. 2 mm) subsordide alba, rotundata, subdefinita sed non marginata, cum puncto majusculo, nigro, antice adnexo, ornatis. Alæ obscurius fuscæ; tectrices vix nisi puncto apicis parvo, pallescente, maculatæ; remiges cubiti latius griseoalbido limbatæ. Plumæ gastræi parabolicæ, sordide albæ, nigromarginatæ; gulæ cinerascentes, margine obsoletiore; juguli pectorisque anterioris definitius pictæ, basi cinereæ cum arcu sublibero, sed obtecto, nigro, medio acuminato et, posterius, striolam nigram emittente. Plumæ ventris posterioris levissime rufescenti-lavatæ, obtusiores, margine apicis latius fuscomarginatæ, basi fuscæ absque arcu. — Pileus *maris* pure niger, solito modo rubro alboque pictus. Regio postocularis fusca, parcius pallidipunctata; r. malaris creberrime albido guttata. Uropygium pallide fulvescens, obsoletius fusco, maculatim fasciatum. Rectrices, rostrum, pedes, solito modo picta. Ala 54 mm. c. 30. — *Mas* e *Surinamo*, (Mus. Stockh.) a cl. Barnet Lyon, 1860 donatus.

Femina, e *Brasilia* (Mus. Lugdun. sign. P. temminckii) maculis dorsi albidis, paullo diffusioribus quam maris, cum puncto nigro, antico, in albedine fere incluso. Plumæ gastræi basi fuscæ, limite definito nigro, medio acuminato (arcus enim niger, multo minor quam in mare, a fuscedine non distinctus). Venter posterior paullo fortius rufescenti-tinctus. Pileus solito modo differt.

17. PICUMNUS *squamifer* n. Mas dorso rufescentifusco, maculis apicalibus minoribus, pallide fulvescentibus, antice nigrolimitatis, ceterum indefinitis. Uropygium dorso concolor, immaculatum. Alæ nigriores, tectricibus immaculatis, remigibus cubiti extus fulvolimbatis. Plumæ gastræi anterioris fulvoalbidæ, nigromarginatæ, basi fuscæ, arcu nigro, lineolam emittente, ut in præcedente notatæ; gulæ sordidiores, margine nigricante minus distincto; ventris posterioris fortius rufolavatæ, obtusæ, molles, indistinctius fuscomarginatæ; laterales striola media nigra signatæ. — Pileus maris solito modo pulcherrime pictus. Lora fulvescentia, nigrosetulosa; regio postocularis fusca, pallidius fasciata; malaris fulvoalbidoguttata. Rectrices nigræ solito modo albovittatæ. Rostrum nigricans, basi inferiore pallescente. Ala 55 mm. c. 30. — Mas e *Surinamo*, Mus. Stockh., cum sp. præcedente acceptus. *Femina* mihi ignota.

18. PICUMNUS *squamulatus* plumis dorsi dilutius fuscis, nigromarginatis et intra marginem latius, pallidius fulvescentibus. Gastræo albo, plumis nigromarginatis. — Senior: Pileus solito modo, pro sexu, pictus. Latera capitis fusca, albidomaculata. Plumæ dorsi dilute fuscæ, apicem versus obscurius fulvæ, margineque latiore (fere 1 mm), nigro, cinctæ. Pars igitur fulva maculam magnam, arcuatam, intramarginalem, exhibet. Alarum tectrices minores ut plumæ dorsi pictæ; majores extus, nec apice, fulvescentes; primariæ totæ nigrofuscæ. Remiges primariæ nigræ, extus vix pallidius marginatæ; cubitales sordide virentialbido-

limbatæ. Plumæ gulæ sordidiores, minus nigromarginatæ; gutturis pectorisque latius parabolicæ, fere albæ, margine latius (fere 1 mm) nigræ, basi arcu obtecto nigro, fere ut præcedentium, notatæ. Rectrices nigræ, solito modo albopictæ. Rostrum ut in plerisque. Ala maris 57, feminæ 55 mm. c. 29.

